

490 g. Can.

746 /
Ius Canon. 747.

Cum DEO!

7

SIMPLICI VERINI

THEOLOGI

DISSERTATIO RESPONSORIA

Brevis & modesta

ad

JUSTUM PA-
CIUM

JUSTUM CELEBERRIMUM

De novitatibus quibusdam recentissimis,

super questione

ex



LEGE DEI

Levit. XVIII. v. 18.


An defunctæ uxoris soror in matrimonium se-
cundum illam legem duci possit?

Zachar. VIII. v. 19.

Diligite VERITATEM & PACEM.

Aristoteles:

Amicus Plato, amicus Socrates; sed magis
amica VERITAS.



STENDALIÆ,

Typis ANDREÆ GÜSSOVII, Anno 1669.

FRONTISPICIUM VOTIVUM

VIRIS

*Generosis, Magnificis, Nobilissimis, Excellen-
tissimis, Amplissimis, Consultissimis,
Politissimis,*

DN.

DN.

Capitano, Equitibus, & reliquis tūm Nobi-
litas tūm civici etiam ordinis Statibus inclu-
tæ & Veteris Marchiæ & Prignitiæ Brau-
denburgicæ Electoralis

SACRUM

S Alvetelapides coronati in terrâ Domini
magnificentissimè erecti! Salvete co-
lumna Salomonæ ornamentis, auto-
ramentis, pigmentis VERITATIS & JUSTI-
TIÆ splendidissimè instructæ! VOBIS ego in præ-
sentiarum non offero Gazas Indicas Regni Mo-
gulici, non Chinesium antiquitates, non Mem-
phiticos obeliscos, pyramides, mummies, ex oris ca-
vernisq; Niliacis; non intexturas mercium aut
aromata Sabea transalpinis aut transmarinis
longiùs disitis regionibus variè conquisita, suôq;
se

se pretiò ditioribus bujus mundi ipsamet proban-
tia, qua & similia humilitatis, modestie, sim-
plicitatis & patientie in servis JESU CHRISTI,
qui verbum salutis annunciant, amantissima
scriptura sacra commendat nusquam, sed longè
VOBIS acceptius gratiusq; munusculum hic depo-
no & consecro, quod est cor humile, devotum,
gratum, & ad sacratoria obsequia, quia post Se-
renissimum ac Potentissimum Electorem Bran-
denburgicum, DN. FRIDERICUM GUILLIELMUM,
Patrem Patria clementissimum gloriosissimumq;
Principem & Heroa, cui sit salus & pax à DEO
mandante salutes Jacob! non nisi per VERI-
TATEM & JUSTITIAM unà cum aliis Electo-
ralis Suae Serenitatis supremis aula Ministris,
Consiliariis & Statib; maximâ auctoritate, pru-
dentiâ & sapientiâ conspicuis, gloriosè & sapi-
enter etiam imperatis, nunquam non paratum.
Hoc, quaso, reflexis in me radiis benevolentie
vestrae lubentes suscipite. Et sic iterùm iterumq;
salvete & favete proceres, Mecœnates & Patro-
ni candidissimi!

Vestro

SIMPLICIO VERINO Theologo
p. t. Palzo - Marchico.



Psalm. XIX. v. 8. 9.

Lex Domini perfecta est, illuminans oculos.

Psalm. CXIX. v. 105.

Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis.

II. Petr. I. v. 19.

Habemus firmiorem sermonem propheticum, & rectè facitis attendentes ei tanquam lucerna in locò caliginosò lucenti.


Psalm. LXVII. v. 1. 2.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, lucere faciat vultum suum super nos; ut cognoscamus in terrâ viam tuam, inter omnes gentes salutare tuum.

I. Corinth. XIII.

Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem faciem ad faciem.

Cum



Cum DEO!

SIMPLICI VERINI
THEOLOGI

DISSERTATIO RESPONSORIA
Brevis & modesta

ad

JUSTUM PACIUM

Justum Celeberrimum

De novitatibus quibusdam recentissimis

SECTIO I.

De novitatibus in genere.

§. 1.

Miraculum naturæ videtur stantium in capite humano oculorum agitatio, resultans ex motione alicujus speculi selectioris coràm præsentatione vultûs humani in clarâ Solis aurei luce observatu digna.

§. 2. Si verò pergamus ad longè mirabilius totius naturæ speculum, non tam oculis corporis, qui aspectu sæpiùs fallunt, quàm sagacissimæ mentis humanæ indagacioni con-

A 3

creatâ

creatâ suâ pulchritudine, structurâ, motu, variisq; aspectibus, influentiis, distantis, bellô admodum spectaculô se objiciens, per quod ego cœleste firmamentum cum omnibus suis luminaribus Sole, Lunâ & Stellis intelligo; non possum nō valdè mirari ea, quæ de ejus aut quiete aut motu perpetuô eruditiores nostrò seculô inter se disputant.

§. 3. Non desunt enim omnium Facultatum Doctores Christiani etiam Evangelici, ex quorum numerô non nisi honoris causâ jam indicandi veniunt eminentissimi Hevelii, excellentissimi Eikstadii, experientissimi Linemanni, aliiq; complures Astronomiæ Atlantes & lumina, qui aut divini ingenii, cui multum semper est tribuendum, exerendi gratiâ, aut methodi expeditioris intuitu, Coperniciana de motu terræ circulari dogmata in tantum non abjecerunt, ut potius illa vel in medio relinquenda, vel pro re natâ etiam laudanda & propugnanda esse decreverint.

§. 4. His ex venerando Theologorum choro meletemata sua etiam miscuit *Vir Clarissimus Dn. M. Michael Havemannus, Superintendens nunc Bremensis*, qui Anno 1650. Lipsiæ in lucem emisit suam *Astræam*, singularis

laris profectò argumenti librum, & cum ne-
mine Theologorum, quod sciam, in hóc
scriptionis genere communem.

§. 5. Constaret equidem & huic libro me-
ritò sua laus, si fortè per lusum etiam excel-
lentis ingenii veluti in speculo aut ænig-
mate studiosis Astronomiæ ea voluisset pro-
pinare, quæ in forò Theologicò seriò & ma-
gnâ animi contentione agitata, non possunt
non Domino Autori istam affricare suspicio-
nem, quòd non novam tantùm & communi
Doctorum Evangelicorum sententiæ contra-
riam, sed etiam, quod rei caput est, plurimis
iisq; speculò quòvis fulgidissimò purissimò-
que clarioribus Scripturæ sacræ oraculis,
quæ pro mobilitate & motu actuali, circulari,
perpetuo, totius orbis terrarum & aquarum,
in oppositione ad totius firmamenti cœlestis
& omnium luminarium ejus quietem sive
stationem inde ab initiò mundi, etiam tem-
pore Josuæ & Jehiskia immotam perpetuam-
que doctis solummodò, non vulgo cui *συγ-
κατάβασις* quædam scripturæ dicis causâ suffi-
cere possit, loqui dicit, manifestè contradi-
centem foveat, inculcet, defendat opinio-
nem & sententiam, in quam argutò quidem

sed frustraneò confiliò præ cæteris Evangelicis Theologis, ipsum quoque B. Lutherum pertrahere voluit Astræa mirum in modum causata, in versione Lutheri germanicâ vocem radicalem *Amad* in Ecclesiaste Salomonis cap. 1. v. 4. non exponi per *Tò Stare*, sed per *Tò Manere*; adeoq; Lutherum ipsum pro mobilitate & motu terræ circulari ad finem usque mundi perpetuò secum in acie stetisse, cum alioqui pronunciatum Salomonæum ita fuerit germanicè vertendum: **Die Erde Stehet ewiglich**; id est, Terra STAT in æternum; non autem sic, uti Lutherus reddidit: **Die Erde Bleibet ewiglich**; id est Terra MANET in æternum. En argutias!

§. 6. Sed unò ictu illud commentum geris Siculis vanius prostravit B. Lutherus, Ps. 119. v. 90. ubi vocem eandem radicalem sic exposuit, ut longius petiti isti distinctiuncule inter *Tò Stare* & *Tò Manere* non sit locus, cum verba Psalmi à verbis in Ecclesiaste nihilum quidem differentia hóc sensu textui originali congruo vertit: **Du hast die Erde zu gerichtet und Sie Bleibet Stehen**; id est: Tu fundasti terram, & illa manet in statione suâ.

§. 7. His ipsius B. Lutheri expositionibus Havemannicis minimè faventibus παρρησιας gemina sunt, quæ ex dictis 1. Chron. 16. v. 30. Psalm. 104. v. 5. collatis cum aliis scripturæ textibus ab eruditis afferuntur, ut proinde sannionem, dicente quidem Dn. Havemanno, non egerit, sed potius æquum monitorem Joannes Oventus, ubi in Gilbertum Medicum Londinensem easdem novitates parturientem hoc decantavit epigramma:

*Stare negas terram? nobis miracula narras;
Hæc cùm dicebas, in rate forsan eras.*

§. 8. Ejusmodi novitatibus singularisticis evidentiam totius scripturæ & orthodoxum consensum Doctorum Evangelicorum directè impugnantibus nunquam se fecit obnoxium Dn. BUGÆUS, Veteris Marchiæ Superintendens, amicus meus non è multis, qui & propterea, sat scio, à seipso alienissimus esset, si crederet; voluisse Amplissimum Virum Dn. D. Bucholtzium, publicatione appendicis Vindiciarum Havemannicarum nuper factâ in speculum propinquitatis conjugalis Dn. BUGÆI ullam prodigiosæ aut temerariæ

raritæ alicujus novitatis, singularitatis, contrarietatis notam transcribere.

§. 9. Improbabile enim id omnino videtur ex illis verbis, quæ inter primas statim lineas appendicis suæ Vir Amplissimus in laudem DN. BUGÆI præmisit hõc modò sibi ab omni imputationis durioris vehementiã prudentissimè temperans: *Legi, inquit, hoc scriptum, cujus modestiam & moderationem juxta cum illis, qua pro philologicâ Mosaici textus explanatione doctè allata sunt magnifacio. Quem admodum verò ego neminem à suâ opinione discedere, & aliam amplecti contrariam cogo: Ita & huic viro suam opinionem libentissimè permitto, quò cum facilè transigo, nihil utilius ab Imperatoribus, Principibus aliisq; Magistratibus Episcopali jure præditis in Republ. Christianã ætatum esse aut agi potuisse, quàm quod illi facultate nuptias contrahendi intra certos cancellos conclusa leges posuere de vitandis certis gradibus propinquitatis, non tantùm quorum exempla à Mose in Levitico adducta sunt, sed etiam in ulterioribus, &c.*

§. 10. Quòd si verò aliquis Poetafter blandiens, invidiã stultitiã aut stultã invidiã ductus, non dubitaverit ex iis verbis, quæ pag. 231. num.

num. margin s. in appendice Vindiciarum leguntur, *novitatem, singularitatem, contrarietatem Havemannicam*, DN. M. BUGÆO affibulare; is noverit contra mentem Dn. D. Bucholtzji se id præsumpturum esse, cum quò & aliis viris magnis, quibus de meliore luto præcordia Titan finxit, ne sic quidem ob duriusculæ alicujus vocis prolationem super periculis rerum Græciæ DN. BUGÆO transfigendum esse, uti res ipsa loquitur, quæ ad lancæ veritatis, quam in locò, ubi & quando opus erit, vir ille, prout Theologum decet, non dissimulabit, expensa, & in æquilibrio justitiæ fundata, reciproca sui velitatione, uti par est, satis per se docebit ipsam, non deterioris loci aut conditionis esse DN. BUGÆUM quàm sunt illi, qui *novitatis, singularitatis, contrarietatis* postulati ab aliis, protestationem solennem, interponere, & sub clypeò illo Achillæo immunes, tela sibi immissa in hostilia insultantium temerè adversariorum capita & præcordia reprimere didicerunt.

SECTIO II.

De novitatibus in specie.

§. I.

CUM super verò & principali controversiæ statu jam sit transactum, prout quidem

dem in speculo propinquitatis conjugalis pag. 147. DN. BUGÆUS illum proposuit, consentiente hactenus Excellentissimo Dn. D. Bucholtzio; nunc porrò ad cardinem rei deveniendum & sententia DN. BUGÆI in principali, potissimâ & fundamentalissimâ illâ de jure naturæ quæstione omnium maximè planissimeq; sic etiam erit exhibenda & declaranda, ut quid discriminis sit inter ejus & clarissimi aliàs Viri Dn. M. Havemanni sententiam, quilibet sincerus veritatum Theologicarū amator ἀνεπισημασμένως & dijudicare possit.

§. 2. Hòc sine specialius hìc quæritur: *An ipsa definitio juris naturæ, prout illa non quidem in forò politicò, cui sua utiq; constat, & ulterius quoque per DEI gratiam, quod seriò optamus precamurq; Theologi, constabit autonomia; sed unice in forò Theologicò, quod primarium ipsius divinæ scientiæ etiam forum sive theatrum longè sacratissimum esse, nemo Christianus facile negaverit, à Theologis Evangelicis lucusq; explicata & ostensa fuit, ab ipsò quoq; Dn. M. Havemannò in scriptis polemicis contra Dn. D. Bucholtzium publicatis, satis plenè, solide & perspicuè fuerit proposita, declarata & vindicata?*

§. 3:

§. 3. Dico confidenter, sed tamen citra ullius injuriam aut præjudicium, quod pro desiderio & voto eruditioris hujus seculi bene multis veritatibus Theologicis paulò accuratiùs proponendis & pertractandis nondum, utiq; videatur pro ratione tam arduæ quæstionis satisfactum esse.

§. 4. Enimverò, si quid rectè conjicio, circa ipsam definitionem juris naturæ, de quò hic sermo est, paulò accuratiùs potuisset explicari & ostendi, (1.) *quòd jus illud nature non sit æquivocum, tropicum, improprium,* id est, tale, quod locum etiam habeat in bestiis. Hoc enim non volunt Dd. Jurisconsulti illà suà definitione: *Jus naturale est, quod natura omnia animantia docuit;* sed magnò consensu verba istius definitionis satis congruè explicant. Malè tamen id intellexit olim Plutarchus, qui peculiari libro brutis tribuit rationem, & Galenus, qui libro exhortatorio ad bonas artes *scribit*, omnibus animalibus inesse *ενδιγάθητον λόγον*; & Virgilius, qui l. 4 Georgic. apibus vult inesse partem divinæ mentis, & haustus ætherios, & Quintilianus, qui lib. 1. instit. Orator. de brutis asserit, quod rationem quidem habeant, sed conceptus animi

mi

mi verbis nequeant exprimere. De hominibus, qui linguas & colloquia animalium, aviumq; garritus intellexisse dicuntur, videri potest Henricus Salmuthus part. 2: in Pancirollum Tit. 10. pag. 201.

§. 5. Malè id intellexerunt ex recentioribus Pontificiis nonnulli, inter quos Cardinalis Hosius, dicentes, nos nec ratione, nec sermone, nec prudentia à brutis distingui, sed religione & Dei cultu, atque contemplatione, quod meritò improbat Martinus Delrio lib. 2. disquisit. magic. quæst. 20. pag 101. Idem de serpente & omnibus animalibus paradisi placuit Josepho & Basilio Magno, quod tamen fabulis Platonis consonare dixit Eusebius lib. 12. de præparat. Evangel. cap. 9. de Elephanti ratione, sermone & descriptione singularia affert & unà refutat Gilbert. Voetius part. 1. disput. select. L. de creat. pag. 734.

§. 6. Malè id quoque intellexerunt & ad mysteria fidei Christianæ longè pejus applicarunt olim Scholastici in Papatu, qui ad 3. Thom. qu. 4. artic. 1. affirmant, Christum potuisse personaliter assumere quamlibet naturam animalium, ut hæc propositio, cum dico: *Deus est pecus, aut columba, aut etiam cu-*

cur-

curbita, tam sit possibilis quam hæc : *Deus est Homo*. Unde sequitur, quod vel irrationale animal fuerit assumendum, vel assumptum, ratione donandum, quò pacto longè magis Christus honestasset animal quodvis irrationale, quam Deus per dispensationem honestavit matrimonia hominum, qui inde ab initio mundi propriis sororibus copulati sunt, vel in gradibus prohibitis contraxerunt nuptias, imò sanctissimum illud & omnis peccati expers conjugium, quod ipse Deus ante lapsum sanxit inter protoplastos, à tali conjunctione Christi & animalis cujusvis multum differret dignitate, si nugis istis à blasphemiam parum distantibus aliquid tribuendum. Pertinent huc etiam quæstiones ineptæ, quas asininas Erasmus meritò nominavit, *an asinus bibat Sacramentum? num fas sit in casu necessitatis asino Sacramentum ingurgitare* quod Neapoli aliquando in sedando terræ motu reipsa factum est? *an mus edat Sacramentum, juxta bellam de mure exenterato historiam, & quâ poenâ ob id sit afficiendus? an missa sit facienda etiam pro bestiis? an imago crucifixi aliquando fuerit locuta, & Thomas Aquinati dixerit: Tu benè de me scripsisti? an-*
non

non rectè fecerit *Franciscus Assisius*, qui execu-
 turus illud *Christi*: *Ite in mundum universum,*
 & *pradicate Evangelium omnibus Creaturis;*
fratribus asinis & lupis, & sororibus corvis Ev-
angelium pradicaavit, imò aliquando lupum no-
tissimum illum pradonem à peccatis suis, si cre-
dere fas sit, ad resipiscenciam inflexit? O pi-
 um animal, pilum toties mutans, chilum
 bilemque nunquam! Ita scilicet in Campa-
 nià, ubi mirabiliarius iste mirabilissimus pi-
 scibus etiam concionatus est, multò felicio-
 res extitère anseres & gallinæ, pro quarum
 incolumitate adversus lupos, vulpeculas,
 mustelas & mardos, vetulæ & ancillæ in
 Germaniâ *S. Lupum* ita coguntur invo-
 care:

Hilff lieber Sanct Lupe /
 Daß der Marder die Hünen nicht
 beruße.

§. 7. Ejusdem farinae est, quòd de venera-
 bili *Bedâ* & de *Cunrado Episcopo Constantiensi*,
 prædicant, illos piscibus articulata voce *Amen*
 respondentibus, concionatos fuisse, (*Wer*
das glaubt/ hat ein Fischhaupt!) nec
 non de *S. Bernbardo*, qui aliquando ingentem
 multi-

multitudinem muscarum excommunicavit in oratoriò Fusniacensi dicens: *Ego excommunico vos; de Episcopo Brasiliensi*, qui ad mandatum Papæ anno 1599. excommunicavit cetos in Brasiliâ, de *Bennone Episcopo Osnabrugensi*; qui per trecentos annos gliribus omnibus totâ suâ diœcesi interdixit, deque *Regulò Episcopo, Johannis Apostoli*, ut ajunt, discipulo, qui ranas inter concionandum nimis vocales perpetuo damnavit silentio, & aliæ id genus nœniæ ipsis Siculis gerris nugarumque exueris vaniores, etsi fides historica aliquibus non videatur esse deroganda quoad præsumptionem & conatum illorum hominum in mediis papatûs tenebris cum rectâ ratione quasi brutescentium, imò nonnunquam Thyrsigerorum aut Bacharum instar furientium atque insanientium, ut notum est ex *Historiâ Ratisponensi* & alijs.

§. 8. Malè id pronunciatum **ICTorum** intelligunt Turcæ, Persæ, Indi & cœteri Mahummedani, qui ex libro Zuna & ex ipso Alcorano credunt, omnia animalia bruta, ipsaque volatilia coeli resurrectura in die judicii, paradisum ingressura, & vota factura pro occisoribus vervecum & castratoribus animalibus

B.

um

um in paschate mactatorum, cum Angelus Gabriel trutinabit animas, id est, opera bona & mala discernet (en tibi papismum Turcicum, in ponderandis post mortem bonis & malis operibus mutatis saltem personis Archangeli Gabrielis & Michaelis!) ubi castrati verveces bovesque ascensuri sunt in lances bonorum operum, ut pondus eorum augeant; quomodo & in Zunâ pag. 563. de ipso Mahometo dicitur, quod animali cuidam nomine alborah insidens, vectus fuerit in cœlum, & sic animal illud omnium primum in paradisum receptum fuisse volunt, quod cœtera omnia in fine mundi secutura sint. Cur ergo rationem & idem jus naturæ, quò homines gaudent, juxta Machometi sui doctrinam animalibus non tribuerent Saraceni, si ipsum cœlum & paradisum illis adjudicant? Pertinet huc ridicula maximè de Noacho omnium animalium linguas & confabulationes intelligente, deque inimicitia inter canes & feles ob delatum à felibus ad Noachum prohibitum canum congressum in arca Noë primum exorta fabula Alcoranica, quam recitat Cl. Olearius lib. 5. itiner. persic. pag. 569. 570. ubi ad marginem adscripsit verba: *visum teneatis amici.*

§. 9. Male id intellexit personatus ille mythologus, qui Præ-adamitas invexit, quos rationales vocat bestias anima & corpore mortales, de quibus & similibus pythagoricorum, Judæorum, & Enthusiastarum putidissimis commentis ad regnum graculorum, anserum & anatum relegandis potius, quam hominibus rectâ ratione præditis tribuendis selectiora quædam videri possunt apud DN. BUGÆUM in præfatione speculi propinquitatis conjugalis. His nunc addo versus [Horatii Flacci ex lib. 1. sermonum, qui mythologo videntur anam præbuisse excogitandis præ-adamitis:

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem atque cubilia propter

Unguibus & pugnis, dein fustibus atque
ita porro

Pugnabant armis, quæ post fabricaverat
usus

Donec verba, quibus voces, sensusque notarent,
tarent,

Nominaque invenère. dehinc abfistero
bello,

Oppida cæperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

§. 10. Denique malè & nulli necessariae secundum pietatem veritati proficuum opinionem Cunradum quoque Vorstium & alios, qui Francisci Valelij sententiam de ratione brutorum sequuntur, in proscenium Ecclesiarum Belgicarum diversis scriptis protrusisse conqueritur supra nominatus Gisbertus Voetius, eò quòd admodum ἀκυρολογίας aut homonymiis ludant illi, aut portenta novarum opinionum procudant, qui seriò defendunt, aliquam naturæ legem bestiis à DEO inditam esse ita ut generalem quarundem innocentiam singulorum generum naturæ convenientem tum inter sese tum maximè erga homines servandam Deus ipsis præscripsisse videatur: atque adeò eas agnoscere Deum Job 12. v. 7. 8. 9. 10. peccare, Gen. 6. 11. poenam promereri Exod. 21. Gen. 9. 5. Levit. 20. 15. imaginem ac vestigium tum rationis tum voluntatis habere, Esa. 1. Jer. 8. Job. 39. & seqq. Proverb. 6. &c.

§. 11. Apage verò portentosas istas novitates ex rancidis monachorum & similium μελαγχολίας καὶ βασάνων legendis aut consuetudinibus, quibus post somnia Judaica, papistica, fanatica, prima incunabula debent re-

pe-

petitas ; neque enim ullus ex iis, qui secundum Deum dicente Epiphaniô, illuminatam mentem habent, talibus unquam consensurus est, quales in abstrusioribus maximè pandectis, paucioribus illorum examinatoribus notis, fovent, suspiciunt, ampliusque mirificè haurire imò exhaurire desiderant opiniones & sententias, quas corruptissimis hisce temporibus cum Tertulliano acerrimo Valentinianorum similium monitore haud immerito vocaveris uncos & equuleos cruciandæ simplicitati & suspendendæ veritati, dubiis & obscuris verborum involucris per omnes modos dementiæ ceu figmenta scenica sic excogitatos, ut facilius sit sphynxes & anigmata illa refutare, quam intelligere, juxta illud: *Dolosus versatur in generalibus.*

§. 12. Videntur enim non abs re novitatum illarum architecti præ cæteris numerandi in lymphaticis, qui cum Francisco Assisio, altero illo Muhammede, uti Dn. Voetius pag. 718. eum vocat, horas canonicas, aviculis præscribunt ad cantillandum, Deumque rationaliter laudandum. Tenentur credere cum Judæis prægrandem aliquem gallum statis horis cantantem in cœlesti firmamentô, cujus vo-

eem intelligentes galli omnes gallinacei super
 terris continuo concentu imitentur. Co-
 guntur fateri communem aliquam naturæ
 linguam, in quâ non tantum bruta & aves, sed
 etiam omnes spiritus angelorum, hominum,
 dæmonumque loqui dicit dæmonium illud
 hominis Iacobus Böhme / Philosophus teu-
 tonicus, cujus mysterium magnum super Ge-
 nesein ad cælum usque extollitur in 4. parte
 veri Christianismi D. Arndii, quod mirum
 mihi videtur valde, cum verè pius ille vir ne
 fando quidem de philosophidio teutonico
 audierit unquam. Coguntur admittere ho-
 mines aëreos, medios inter Divos & homi-
 nes cum Cardano ex libro subtilitatum de Dæ-
 monibus. Non possunt etiam non probare nu-
 gas de prudentiâ & castitate naturali elephan-
 torum, camelorum, equorum, turturum, ab-
 stinentium à congressu cum matribus & foro-
 ribus, aut compare mortuo aliis sui generis se
 amplius non consociantibus. Imò non pos-
 sunt per ipsam veritatem, quam crepant, eti-
 am juratò firmatam absolvi, quò minus vide-
 antur digni, qui locò Evangelicorum Docto-
 rum & verbi ministrorum, quos unicè fastidi-
 unt execranturque, non sine justa Dei omni-
 poten-

potentis indignatione, denuò in Ecclesiis Evangelicis, quod gratia Dei clementer avertat, videant audiantque claustrarios illos lupos anseribus prædicantes & rudentes ex umbone asinos Cumanos, juxta antiqua vaticinia & picturas ex mediò papatu à præstantissimo Jurisconsulto D. Joanne Wolfio in centuriis memorabilium prolatas, quibus asinis papalibus ex asse convenit, imò ad vivum eos depingit, quod Carolus Sigonius lib. 7. de imperio occidentis refert, in Italia per Tusciam Annonariam rem ridicularem aliquando novam animis religionem injecisse, cum Pistorii sub horam diei tertiam, spectantibus multis, asinus excelsum tribunal ascendit, atque inde rudittum usque adeò compositum edidit, ut populum accurrentem alloqui, & quædam dicere velle videretur. Hæc ibi Sigonius, quibus gemina brolixè recenset Theodorus Zvvingerus Theat. Vit. Hum. volum. V. pag. 1349. & seqq. ubi ad miracula divina refert locutionem asinæ Bileami, & reliqua omnia, quæ rationem aut loquelam humanam brutis tribuere videntur, quas fraude Satanicâ aliquando etiam locutas esse, haud secus atque serpentem olim in Paradiso exemplo Simonis

Magi & Franciscæ Senensis, à quibus, ut canis Romæ loqueretur effectum est, ex Bodino & Clementis itinerario adducit idem Zvvingerus pag. 1529. quò etiam pertinet spectrum illud marinum cum quò duo Consiliarii regii ex Daniâ in mari Norvvegico anno 1618. colloquium habuere omnibus in navi id audientibus, teste I. Philippo Abelino part. 1. Theatri Europæi ad illum annum. &c. Quare igitur, dic sodes, ratio & loquela humana bestiis posset tribui? Cur idem jus naturæ, quod hominibus tribuendum, locum etiam haberet in bestiis? Hoc enim si esset verum, quidni in bestiarum quoque conjunctionibus incestum & adulteria eodem jure naturæ quærerent & statuerent absurdissimum istarum novitatum defensores & Patroni? *Tantum de primò.*

§. 13 Debuisset (2) explicari & ostendi, quòd jus naturæ, de quò hic quæritur, non sit idem cum illò jure naturali, quod Scholastici, & ex iis Becanus Theolog. Scholast. part. 2. tom. 1. tract. 3. cap. 1. quæst. 2. describunt: quòd sit jus, cujus obligatio oritur ex naturâ rei, & inde se diffundit in præceptum, Et quæst. 7. Quod obli-

*obligatio legis oriatur ex ipsâ rerum naturâ, si
lex sit naturalis.* Sed hanc definitionem ju-
ris naturalis in forô Theologicô non sufficere
ad veritatem scripturæ sacræ exactiùs cogno-
scendam, tribus rationibus probatur à Theo-
logis Evangelicis. 1. quia membrum hoc di-
stinctionis Scholasticæ non exhaurit nec
exprimit totùm illud, quod de natu-
raliter necessariô jure Dei omnium supre-
mô & absolutissimô secundum scripturas con-
cipi potest: immò, ut alibi Scholastici se ex-
plicant, supra limites naturalis Theologiæ,
luminis & legis, seu νομὸς ἐννοίας & sintere-
sin naturalem non ascendit. 2. quia non osten-
dit nec distinguit an natura illa rei, in quâ jus
ipsorum naturale fundatur, & unde obliga-
tio oritur, dependeat à naturâ Dei, an verô
à decretô. 3. quia consequenter non expli-
cat aut ostendit fontem ac primam radicem
talis aut talis naturæ rerum, hoc est, non o-
stendit fundamentum fundamenti istius obli-
gationis. Atqui hoc non ostenso mens no-
stra non acquiescit, sed hæret in eâdem quæ-
stione & dubiô: cur exempli gratiâ: hoc aut
illud præceptum est juris naturalis magis
quàm aliud? Si dicas, quia ibi natura ipsius

B 5

rei

rei dicit honestum aut inhonestum? Si instem: Quare? & unde certus es? Respondebis, quia natura ab illo ut turpi & indecoro abhorret, & ratio naturalis contrarium dicitur. Hæc ultima est analysis in lumen rationis naturale homini cuique cum naturâ divinitus implantarum: quod certè secundarium est principium, & unde conclusionum deductio, imprimis earum quæ à primis principiis practicis intellectus humani remotiores sunt, sæpè fallacissima est, nisi scriptura ejusmodi primis secundisque principiis & conclusionibus, quod sæpè facit exsertè attestetur. *Da- bo unum atq; alterum exemplum: Cum Deus mandabat Abrahamo, ut Isaacum immolaret, quæri poterat: an præceptum de obedientiâ erga Deum, quatenus sub ratione honesti concipitur magis fuerit juris naturalis, quam præceptum de occidendo & immolando filio innocenti?* (Supponitur enim aliàs hoc fundamentum, quòd Deus non possit aliquid homini præcipere quod turpitudine aut vitio morali intrinsecè affectum sit contra jus naturale.) Hic certè aliter cum Scholasticis responderi non potest, quàm quòd ipsa natura & ratio magis abhorreat ab occisione cu-
jus-

jusvis hominis illicitâ, nedum filii innocentis
 quam ab aliquâ inobedienciâ erga Deum; ad
 primam Tabulam Decalogi pertineat. Immo,
 nisi Abrahamus fuisset à Spiritu Sancto illu-
 minatus, magis pro indecoro habuisset occi-
 sionem filii innocentis, quàm inobedientiam
 erga Deum, quod & de Isaaco dici potest,
 cum ipsa ratio per se non possit in Deo ali-
 quam concipere justitiam, si patri mandet, ut
 filium innocentem occidat, aut filio, ut pa-
 tri contra præceptum Dei morale cordibus
 hominum inscriptum & contra ipsum jus na-
 turæ obediat. Sic cum Deus Simsoni juxta
 præstantissimorum Theologorum sententi-
 am per instinctum Spiritûs Sancti mandabat
αὐτοφροσίαν; quæri poterat: *annon magis per*
ipsam naturam borruerit Simson αὐτοφροσίαν,
quàm inobedienciam erga Deum, nisi à Spiritu
Sancto aliter fuisset illuminatus & ætus? Im-
 mò, quid magis decori aut indecori potest
 concipere ratio in divinis præceptis circa ma-
 trimonium Prophetæ Osee cum muliere for-
 nicationum, aut circa comestionem stercoreis
 humani præceptam Ezechieli, aut circa potio-
 nem amarâ aquæ maledictæ & pulverulen-
 tæ legaliter & ordinariè præscriptam, quâ se
 à su-

A suspicione adulterii purgare tenebatur quælibet honesta & innocens uxor Israelitica, aut circa ipsum repudium cujuscumque honestæ & innocentis uxoris Israeliticæ, quod unâ cum exilio & miserâ erat conjunctum, aut circa immolationem vel occisionem filia Jephthæ, quam reipsâ factam esse cum B: Luthero magno consensu statuunt Theologi Evangelici, qui Augustanam Confessionem, aut Reformatam Religionem profitentur, aut circa occisionem cujuslibet filii & filia, servi & ancilla Israelitarum, quotquot per votum anathematis Deo consecrabuntur juxta legem in Levitico cap. 27. v. 28. 29. peculiariter præscriptam, cujus respectu filiam Jephthæ ordinariè primis illis temporibus post Mosen occisam fuisse iidem Theologi statuunt, quamvis alii postea per dispensationem divinam, aut aliò modò contra mancipia & hostes populi Dei in bello captos legis illius executionem tantùm valuisse existiment. His adde homicidium Mosis ab ipso Spiritu Sancto laudatum, inobedientiam Simsonis erga parentes, cum illis inconsultis & invitis ducebat mulierem Philistinam, quales nuptiæ cum foeminis alienigenis lege insuper positivâ erant

erant

prohibite, quæ omnia tamen sine peccato contra legem naturalem & positivam commisit Simson, quia exsertè attestatur Scriptura, quod divinitus facta & per Spiritum Domini Simsoni instillata fuerint, quò etiam nonnulli referunt dispensationem Prophetæ Elisæi in frequentationem ulteriorem templi idolatrici, & genuflexionem coràm idolo Rimmon saltim externam & politicam, furtum Israelitarum vasa Ægyptiorum ex mandato Dei surripientium, licentiam usurarum repetendarum ab alienigenis, non item ab Israelitis, dispensationem ipsius Dei in faciendis quibusdam sculptilibus in loco sacro publicè erectis vel post velum in arcâ propitiatorii stantibus, factum Pinehæ, Samuelis & Eljæ in occidendis scortatoribus, tyrannis, Pseudoprophetis, punitionem innoxiorum liberorum Achan, maledictionem Elisæi factam in nomine Domini & exitiosam pueris in Bethel, obstrictionem filię Jephthæ ad perpetuum cœlibatum, uti quidam volunt: quæ tamen ab obligatione voti paterni per aliam legem Levitici relaxationem faciliorem impetrare poterat, polygamiam sanctorum Patriarcharum, & nuptias

ptias eorundem cum proximis agnatis, conjugium Jacobi cum duabus viventibus sororibus præceptum de ducendâ fratriâ in Deuteronomio latum, & similia in veteri Testamento passim obvia, quibus ex novi testamenti codice etiam nonnulli accensent maledictionem ipsius Christi illatam figui, anticipationem festi paschatos factam à Domino illo legis, Sabbathi & omnium festorum ultimo anno ministerii, occisionem Ananiæ & Saphiræ factam gladio Spiritûs Sancti ab Apostolo Petro, intermissionem concionis Evangelii in locis aliquibus factam ex instinctu Spiritus Sancti contra mandatum (uti videtur) ipsius Christi, ite in mundum universum, obtestationem Pauli voventis anathema fieri, id est, innocenter occidi, immolari pro fratribus juxta carnem Israelitis, (quomodo & ipse Christus pro admirandâ patris coelestis voluntate in cruce anathema factus, & innocentissimus omnium, qui unquam juxta legem morte affecti, pro hominibus passus est) relaxationem Christianæ libertatis sive erga conversos ad Christianismum Judæos in adhibendâ adhuc circumcissione, in retinendo delectu ciborum, in frequentando

Tem-

Templo Judaico, in radendis vel alendis cri-
nibus, in faciendis votis, celebrandis festis,
observandis jejuniis, & similibus aliis operi-
bus legis Mosaicæ ad tempus factam & ex-
emplificatam etiam ab ipsis Apostolis; sive
erga conversos Christianos ex gentibus in-
frequentandis Templis Ethnicis sine ullâ ta-
men adoratione & cultu idolorum, in come-
dendis idolothytis, sanguine & suffocatô,
in contrahendis nuptiis lege Mosaicâ in li-
neâ collateralis vetitis, quales in lineâ eti-
am rectâ cum novercâ contra ipsorum gen-
tilium morem contraxit incestuosus Corin-
thius, excommunicatus propterea ab Apo-
stolo, & alia id genus tolerata aliquandiu
in primitivâ Ecclesiâ, quibus omnibus ad
Regulam applicandis definitio illa juris na-
turalis, quam Schola Pontificia tradit, non
est satis accommodata neque in se sufficiens,
cum in his ratio humana sibi soli relicta,
non possit definire, quod conciliandis istis
dubiis & tranquillandæ conscientiæ majorem
certitudinem atque evidentiam ipsius rei
intellectui humano notificandæ requirit &
exigit.

§. 14. Referrî hûc etiam possunt exempla magis familiaria, verbi gratiâ : Est utrumque juris naturalis, ut pauperes accipiant eleemosynas, & Ecclesiæ vel Scholæ ministri sua stipendia. Si verò tempore belli ex aliis redditibus stipendia ministris Ecclesiæ & Scholæ non possint erogari, sed tunc magistratus vel patronus cogatur ærarium pauperibus antea adjudicatum pro exigente necessitate adjudicare ministris Ecclesiæ & Scholæ; quocunque modo id fiat jam non quaritur; hoc quaritur: *an magis sit contra jus nature subtrahere pauperibus eleemosynas, quàm ministris Ecclesiæ & Scholæ stipendia vite & sustentationi illorum non minùs necessaria?* Disputet hîc secum ratio, utri præferendi vel excludendi; Certè nullus æruscator Pontificius aut subhastator indulgentiarum papalium hîc erit tam liberalis, ut scrinia sua recludat, aut loculos excutiat pro his necessitatibus, quicquid hinc inde lumen rationis dicter circa majus minusve indecorum, &c.

§. 15. Paret idipsum quoque ex comparatione unius legis positivæ ad alteram. ex gr. peccat omnis virgo monialis in papatu
contra

contra leges Romanæ Ecclesiæ, si non patiatur sibi radi comas ante professionem vitæ monasticæ ubi pro primâ tonsurâ quælibet tenetur persolvere Turones 4. Ducatum unum & 9. Carolinos juxta taxam poenitentiariam cameræ Apostolicæ sub rubricâ *de licentiâ suscipiendi ordines can. 1.* (an postea etiam radantur ex eâdem necessitate legali noverint ipsæ) peccavit etiam Simson, qui contra legem Dei positivam de Naziræis latam passus est sibi radi comas à scortô Delilâ. quæritur: *an magis rationi videatur turpe & indecorum, si moniales non obediant legibus Papa, quàm quòd Simson, inobediens factus est legi divine?* Si dicant, magis peccare moniales, falsum dicunt, & Apostolo dicam scribunt affirmanti, quòd inhonestum sit Christianis & contra ipsum jus naturæ, si viri prolixiores alant crines instar foeminarum, aut foeminæ & virgines instar virorum sibi radant comas. Si autem dicant magis peccâsse Simsonem, falsum itidem dicunt, cum reipsâ nihil insit turpitudinis rasioni capillorum virilium, sed illa potiùs juri naturali sit conformis & propria.

C

§. 16.

§. 16. Manet itaque, non absimili sententiâ Scholasticos ex solò rationis naturalis lumine deducere voluisse conclusiones vigore hujus suæ definitionis, quam de jure naturæ proferunt, atque aliàs Doctores Pontificii de infallibilitate & peremptoriis definitionibus numinis sui Tarpeji disputantes nihil solidi possunt decernere, sed circulum potius committunt & ad eandem quæstionem revertuntur, cum Theologi Evangelici quærunt: an decisiones Papæ sint majoris certitudinis vel infallibilitatis, quàm conciliorum; imò prorsus infallibiles? Si affirmant, solum Papam esse infallibilem Proponentem, & hoc esse juris naturalis, ut & ipsa id credant concilia; quærunt Evangelici instando: Unde hoc scitis? Respondebunt Pontificii ex Matth. 16. *Tu es petra*, &c. Evangelici replicando pergunt: Unde autem certi estis, verba Matth. 16. non esse omninò aliter quàm sic intelligenda? Respondebunt Pontificii: quia papa omninò non aliter quàm sic verba illa vult intelligenda esse, & hoc ipsa concilia debent etiam determinare. Hunc circulum sub primis Evangelicæ reformationis

nis

nis initiis Silvestro Prieriati cubiculario Papæ Leonis X. objecit B. Lutherus Tom. 1. Jen. fol. 58. fac. 2. Desinant ergo uti perspicillis, ubi in rebus à ratione longiùs distantibus aliò opus est tubo optico ad pervidendum, ea, quæ Deus etsi non in totum, saltem in tantum oculis mentis humanæ in tersissimò lucidissimoque speculò verbi sui revelati objicere & aperire hucusque dignatus est.

§. 17. Potuisset (3) explicari & ostendi quòd *jus nature*, de quò hìc quæritur, neque sit *merè adiaphorum*, *indifferens*, *mutabile*, *contingens*; neque *prorsus absolutum*, *independens*, & *necessitate nature divine* & *juris divini immutabile vel æternum*, sed *liberè positivum*, *definitum*, *certum*, *necessarium*, & *consequenter hypoteticè immutabile* & *ex Dei decreto perpetuum*. Est enim notissima inter Theologos quæstio: *an omne illud possit dici merè adiaphorum, nec determinari per legem nature aut per moralem, quod & quia non sit semper & absolutè observatu necessarium, ita ut oppositum ejus aliquando à Deo mandari, & ab homine sine peccato fieri possit?* Respondent Evangelici negando, & distinguunt *jus nature*, quod

se diffundit in legem ab homine servandam, *in jus vel absolutum vel hypotheticum.* *Jus natura absolutum est,* quod omnes homines absolutè & ad semper obligat, ita ut actus oppositus nunquam honestari possit, ex. gr. blasphemia, adulterium, falsum testimonium. *Jus natura hypotheticum est,* quod absolutè & ad semper omnes homines ita non obligat, ut aliquando actus oppositus honestari, & sine peccato fieri non possit. Hoc postremum *jus natura* notificatur à Deo & cognoscitur ab hominibus vel *explicitè* vel *implicitè*.

§. 18. *Explicitè* notificatur per divinas revelationes factas inde ab initio mundi multifariam, in primis autem per *Prophe-
tiam & Sacerdotium.*

§. 19. *Prophetia* semper floruit in Ecclesià vel *ordinariè*, cum Deus excitavit viros immediatò Spiritus Sancti afflatu imbutus, & præterea miraculis aliisque donis cœlestibus instructos, quos ceu personas publicas & Ecclesiæ lumina in rebus non tantum divinis & ad bonum animæ præcipuè spectantibus, sed etiam in domesticis necessitatibus quilibet consulere & rogare potuit

potuit exemplo Rebecca, Gen. 25. v. 22. Saulis, 1. Sam. 9. v. 6. 7. 8. 9. Davidis habentis etiam in bello secum Prophetam Gad, 1. Sam. 22. v. 5. cap. 23. v. 2. 2. Sam. 2. v. 1. unde *Gad* vocatur Speculator Davidis, 2. Sam. 24. v. 11. qualis Speculator fuit *Samuel*, 1. Chron. 9. v. 22. *Heman*, qui dicitur speculator Regis David in causis vel verbis Dei, 1. Chron. 25. v. 5. *Jedi* vel *Iddo* (qui & *Oded* nominatur 2. Chron. 15. v. 1.) qui fuit speculator Salomonis contra Jeroboamum 2. Chron. 9. v. 29. cap. 12. v. 15, quomodo & *Jeduthun* vocatur speculator Regis David vel Salomonis, 2. Chron. 35. v. 15. ubi tamen alii per *Jeduthun* etiam intelligunt *Jedi* vel *Jeddo*) quod etiam fecit *Josaphat* 2. Chron. 18. 7. cap. 19. 2. uxor Jeroboami consulens Prophetam Abiam de morbo filii, 1. Reg. 14. v. 2. 5. (collat. 2. Reg. 1. v. 3. 6.) qualis Propheta vel speculator in aula Jeroboami fuit Amos, antequam in exilium mittebatur, Amos 7. v. 12. & Ezechiel tempore captivitatis Babylonicae, Ezech. 14. v. 3. 4. 7. immò hoc sensu Abraham & alii Patriarchae ante Mosis tempora dicuntur Prophetae, quos nemo non consu-

lere potuit in causis tam privatis quam publicis, Gen. 20. v. 7. Psal. 105. v. 15. Vide & 2. Reg. 19. v. 2. cap. 20. v. 8. 9. 10. cap. 22. v. 14. ubi & Prophetissæ fit mentio; vel *extraordinariè*, cum singularibus vel privatis etiã personis externè apparuit Deus, aut per Angelos cum illis locutus est, vel intertè per visiones & somnia voluntatem suam illis patefecit, cujusmodi revelationes in scriptura passim obviæ sunt.

§. 20. *Sacerdotium* ante & post diluvium claruisse in familiis Patriarcharum constat ex prædicatione verbi publicâ & sacrificiorum oblatione, Gen. 4 v. 3. 4. 26. cap. 6. v. 3. (collat. 2. Pet. 2. 5.) cap. 8. v. 20. 21. cap. 12. 7. 8. cap. 13. v. 18. cap. 21. v. 33. cap. 26. v. 25, cap. 33. v. 20. cap. 35. v. 1. &c. Extra familias Patriarcharum inter gentes etiam fuisse aliquod Sacerdotium probant nonnulli exemplo *Melchisedeci*, Gen. 14. v. 18. & *Jobi*, qui non diu post tempora Patriarcharum vixit, & salutari Dei agnitione imbutus fuit ex revelationibus divinis, cultuque Dei ordinario per prædicationem verbi & sacrificia, qualis agnitio etiam amicis Iobi tribuenda, Iob. 1. v. 5. cap. 42. v. 7. 8.

§. 21.

§. 21. Maximè omnium verò *Sacerdotium ordinarium* cœpit inclarescere cum Aarone, qui unà cum successoribus suis iudicium Domini exercuit, & instar oraculi habitus est, quia non tantùm ordinariè responsa dedit in causis planioribus per legem Mosis decidendis, sed etiam in dubiis & obscurioribus, ubi miraculosè respondit *per illuminationem cordis internam & Propheticam*, ob quam *Speculatores* etiam vocantur summi Sacerdotes 2. Sam. 15. v. 27. vel *per Urim & Thummim*, (quos miraculò quodam externò Dei voluntatem querentibus revelasse peculiari scripto declarabit DN. Bugæus, qui multa etiam de Sacerdotio omnium temporum scitu digna luci exponet in aliò tractatu philologicò de apagis veteris Ecclesiæ,) quoties & pacis & belli tempore aderant, qui operà summorum Sacerdotum interveniente Deum interrogabant, Num. 27. v. 21. Judic. 1. v. 1. cap. 20. 18. 1. Sam. 23. 2. 6. 9. cap. 30. 7. 8. 2. Sam. 21. 1. Nehem. 7. v. 65. vel *per sortilegium divinum*, per quod ipse Aaron Sacerdotio miraculosè est initiatus, Num. 17. v. 2. quò etiam deinde in officio constituitur.

stitutus variè usus est, Levit. 16. v. 8. Num. 26. 55. cap. 33. 54, Jos. 14. v. 1. 2. quod successores & posterì imitati sunt in probandis & revelandis fontibus, Jos. 7. v. 13. 1. Sam. 14. v. 42. in eligendis Regibus, 1. Sam. 10. v. 20. militibus, Jud. 20. v. 10. civibus Solymæis, Neh. 11. v. 1. lignis, primitiis & decimis, Neh. 10. v. 34. Sacerdotibus & Levitis, 1. Chron. 24. v. 5. cap. 25. v. 8. 9. cap. 26. v. 13. & in finiendis litibus coram iudicio Prov. 16. v. 33. cap. 18. v. 18. vel *per probationes miraculosas singulares* divinitus institutas; qualis fuit aqua maledictionis, Num. 5. v. 17. 18. vel *per pœnas & executiones judiciorum divinarum extraordinarias & heroicas*, quomodo hoc factum à Pinehâ Num. 25. v. 8. & à Levitis Exod. 32. v. 29. collat. cum Deut. 33. v. 9. qualia exempla imitati sunt etiam Prophetæ Samuel & Elia in occidendo Agago Rege Amalecitarum & Pseudo-prophetis Baaliticis, *& similiter*, ut ita quilibet & pro seipsò & pro aliis ex ordinario Sacerdotio multis modis potuerit voluntatem Dei plenè & perfectè cognoscere, quòd ordinariè & semper etiam in causis matrimonialibus, quæ majoris momenti fuerunt,

fieri

feri debuit, Mal. 2. v. 7. Vide 1. Sam. 28. v. 6. ubi præcipui modi divinæ revelationis, quæ extraordinariè & miraculosè facta est unquam per prophetiam & Sacerdotium, exprimuntur.

§. 22. *Implicitè* notificatur hoc jus naturæ hypotheticum, quando illud implicitè per casum absolutæ aut majoris necessitatis à lege aliquâ concessum aut exceptum subintelligitur, qui casus non pugnet cum revelationibus divinis jam definitis.

§. 23. Est autem necessitas illa *vel merè humana & physica tantùm, vel cum necessitate divini alicujus mysterii conjuncta*, quod mysterium in jure hoc naturæ hypotheticò supremam Dei libertatem & potentiam, quoad ipsum jus naturæ absolutum intellectui humano aliquâ saltim ratione explicet & ostendat pro confirmandò axiomaticè illò Theologicò: *Deum esse supra legem, & aliter agere vel agere posse cum hominibus in ordine ad seipsum & universaliter in statu peccati nunc post lapsum; aliter verò in ordine ad homines & in particulari sub ratione alicujus innocentia aut immunitatis à peccato & ejus pœnâ promeritâ considerandos.*

C 5

§. 24.

§. 24. Hisce distinctionibus generalibus præmissis & præsuppositis lux aliqua afferri poterit conciliandis Scripturæ exemplis supra allegatis cum ipso jure naturæ, quocunque modò id definiatur aut circumscribatur, quas distinctiones si quis accuratiùs proponere & dexteriùs applicare noverit, magnum quid effecisse mihi omninò videbitur.

§. 25. Fiat itaque denuò inductio quædam exemplorum, additâ conciliatione cum ipso jure naturæ, in quantum infallibilis veritatis dux & cynosura, quæ est prævia nobis scriptura sacra, id permittit & ostendit ipsa. In multis enim quis non exclamet cum Apostolo: *ó altitudo divinarum?*

§. 26. Et quidem, ut quoad casus matrimoniales initiò in præscenium adducendos, juxta scripturæ seriem procedamus, quæritur I. *an ipse Adam potuerit in lineâ re-
Etâ cum aliquâ ex suis filiabus aut posteris, salvo jure nature, in matrimonio conjungi?*
Resp. Videtur hoc affirmare B. Epiphanius verbis à DN BUGÆO in præfatione Speculi Propinquitatis Conjugalibus adductis; sed
ego

ego hoc non affirmo, quia per principia cognoscitiva juris naturalis & divini aut absoluti aut hypothetici id non notificatur, & aliàs etiam rectæ rationi consentaneum non videtur, unde & simpliciter negari potest & debet. II. *an Adam potuerit esse bigamus aut polygamus salvò jure naturali, si Deus ei voluisset cum unâ atq; alterâ ex suis filiabus aut posteris concedere secundas post Hevam nuptias?* Resp. negatur ex verbis ipsius Adami: *Et erunt duo in carnem unam*; & ex verbis ipsius Christi Matth. 19. *à principiò non erat sic*; & ex Malach. 2. *non fecit sic unicus ille*, id est, Adam. III. *an Deus salvò jure natura in istam Adami bigamiam aut polygamiam potuerit dispensare?* Resp. Negatur simpliciter quoad jus naturæ hypotheticum, quia Deus hoc noluit facere. IV. *an magis peccasset Adam contra jus natura, si cum aliquâ ex posteris in lineâ rectâ contraxisset nuptias, quàm si factus fuisset bigamus aut polygamus?* Resp. Insinuant equidem hanc quæstionem antiqui heretici, de quibus Epiphanius, fabulis de muliere androgynâ; *Judæi*, fabulâ de Dominâ nocturnâ *Lilith*; *Enthusiaste*, fabulâ de ipsò Christo

se-

Secundò Adamò androgyno ; & nuperus
mythologus nugis suis pestilentissimis de u-
 nâ atque alterâ ex bestiis, id est, bestiali-
 bus præ-adamitarum, quos comminisci-
 tur, filiabus ante creationem Hevæ Ada-
 mo copulatis, aut in adiutorium ab ipsò
 Adamò quæsitis, quod est disertè contra
 scripturam Mal. 2. v. 15. ubi Dei semen ex
 unicâ muliere Hevâ quæsitivisse dicitur uni-
 cus Adam, non semen angelorum, dæmo-
 niorum, aut bestiarum. Meritò autem
 commenta ista pii omnes testantur, & ceu
 Diaboli excrementa foetidissima ad orcum
 infernalem, unde in extremis mundi hu-
 jus immundi fecibus propullularunt, se-
 verissimè relegant cum infamiâ perpetuâ.
 Gemina his ferè sunt, quæ dicti Entusia-
 stæ procudunt de diversis modis propa-
 gandi genus humanum extra conjugium A-
 dami & Hevæ, cùm quærunt: *annon Deus*
ex unoquoq; individuò seorsim potuerit in
momentò temporis creare hominem, sicuti ex
Adamo creavit Hevam? annon per genera-
tionem equivocam ad instar apum, verruca-
rum, papilionum, bombycum, potuerit fieri
propagatio, aut similiter? Ita scilicet Tra-
 gela.

gelaphos somniant & fumos vendunt ho-
 mines vertiginosi, quibus facem prætulere
 Scholastici in curiosissimò papatu inter alia
 de ipsò Deò quærentes : *annon per absolu-
 tam suam potentiam ipsam infinitam essenti-
 am suam, quoties velit, per singula momenta
 possit contrahere in minutissimum punctum
 atomi, & rursus eandem, quoties velit, per
 singula momenta in infinita locorum spatia
 emittere?* Ô vesaniam ! Affine est etiam
 istis affaniis, quod Bellarminus fingit, posse
 Deum per dispensationem separare potius
 uxorem à priore marito sterili, & alteri vi-
 ro eam concedere magis, si tantùm duo vi-
 ri & una mulier superessent in mundo, quàm
 mulieri conjugium cum duobus simul viris
 concedere, ne mundus pereat, lib. i. de
 matrimonii sacramento cap. XI. Quidni
 igitur & Heva si sterilis fuisset Adam, dispen-
 satione divinâ, potuisset alteri viro nube-
 re, ne mundus periret ? Nugæ ! De cœ-
 terò, utrumquæ quod est in quæstione ne-
 gatur simpliciter, quia utrumque, ut di-
 ctum, factum esset contra jus naturæ hy-
 potheticum.

§. 27. Q. V. *an Deus Adamo ante lapsum
 leges*

leges positivus de monogamiâ Matth. 19. v. 4. de gradibus prohibitis & c. non tantum per lumen verbi & prophetia revelârit, sed etiam naturalem aliquam cognitionem & inclinationem ad illas leges menti ejus indiderit, que cognitio & inclinatio per lapsum non omnino extincta sit, adeo ut potius naturalis fuga & aversio ab ejus oppositò adhuc remanserit in homine lapsò & in ejus posteris? Resp. Affirmo cum Theologis Evangelicis, quia

1. Deus à facie ad faciem cum Adamo ante lapsum locutus est, & longè sublimiora mysteria ei revelavit, quàm nunc post lapsum lumen intellectus naturalis percipit, id quod, Deo dante, aliàs in Historiâ creationis erit prolixius explanandum.
2. Adam ex cognitione & inclinatione naturali ad monogamiam quæsit sibi unicam conjugem, ex quâ Dei semen, id est, prolem sanctam ad imaginem Dei creatam susciperet, prout unicus ipse & unica hæc ejus Conjux Heva ad imaginem Dei creati fuerunt. Malach. 2. v. 15. Luc. 3. v. 38.
3. non duas aut plures sed unam tantum costam ex corpore Adami subtraxit creator, & locum carne clausit ad indicandum, se potuisse quidem

per

per plenitudinem spiritus sui plura creare
 corpora muliebria, & halitum vitæ illis
 pariter ut Hevæ inspirare; sed quia hoc
 non fecit, eò ipsò testatus est Adamo & ejus
 posteris, se non polygamiam sed mono-
 gamiam tantum voluisse. Sic graviter pro-
 nunciant Theologi & interpretes Batavici
 in Bibliis Dordracensibus ad locum Mala-
 chie allegatum §. 50. & 51. 4. ex revelatio-
 ne divinâ Adam expergefactus è somnò sta-
 tim agnovit Hevam antea nunquam visam,
 quod esset os de ossibus suis, & caro de car-
 ne suâ, quâ cum sola debeat fieri & esse in
 matrimonio ab ipso Deo institutò una caro;
 quæ revelatio in ipsò etiã profundissimò il-
 lò somnò singulariter facta est Adamo, qui
 hoc ipsò suo effato - *Hec est caro de carne
 mea &c.* satis docuit, propheticum quid si-
 bi accidisse, quæ prophetia etiam post la-
 psam non desit in Ecclesiâ, sed mansit,
 & vivâ voce propagata est juxta cum lege de
 monogamiâ, cum aliàs, si Adamus factus
 fuisse polygamus, & ipse & posteris ejus post
 lapsum potuissent turbari in ipsâ fide de
 promisso semine mulieris, an illud per
 ipsam Hevam; an verò per aliam ejus in
 matri-

matrimonio Adami consortem debuerit tra-
 duci exclusâ Hevâ ab hac prærogativâ tem-
 porali, eò quòd primò fuerit lapsa & Ada-
 mum quoque seduxerit, veluti curiositas
 humana potuisset cogitare, & Scholastici
 parili ferè ratione disputant, quòd Deus
 post lapsum unicam tantùm lineam filio-
 rum Adami potuerit multiplicare, reliquis
 abolicis vel antiquatis ob peccatum Caini,
 &c. 5. Conjugio Adami & Hevæ subfuit
 mysterium de conjugio spirituali inter Chri-
 stum & Ecclesiam, quòd non polygamia,
 sed monogamia, respondet, Ephes. 5. v.
 32. 6. non pugnat lex moralis, quam Deus
 per creationem naturaliter inscripsit cordi
 hominis, cum cognitione & inclinatione
 etiam quodammodò naturali ad leges po-
 sitivas de monogamia & gradibus prohibi-
 tis, sed hæ potius illi subordinandæ & eum
 illâ conjungendæ sunt, quomodò lex na-
 turæ hypothetica legi naturæ absolutæ eti-
 am non opponenda sed subordinanda &
 conjungenda est, uti pars integralis toto ali-
 cui essentiali, aut species suo generi vel to-
 to universali, æquitas justitiæ, principatus
 imperio, pastoratus Episcopatus, ceremo-
 niæ.

nialia præcepta moralibus aut præcepta Tabulæ secundæ Decalogi, præceptis Tabulæ primæ, &c.

§. 28. Q. VI. *an ergò quedam sine regula practica & leges divina positiva, quæ quidem sunt veritatis immota & hypotheticè necessaria, generales & perpetua, quas tamen Deus aliter potuisset voluisse & nobis prescripsisse: quæq; consequenter non sint juris naturalis absoluti universaliter & ad semper obligantis, sed liberi & hypothetici, sive ex hypothese voluntatis & mandati divini, cujus veritas & necessitas per principia cognoscitivatum supernaturalium naturalia nobis innotescit, definiendi?* Resp. Affirmatur contra Scholasticos, qui communiter ad lib. 1. sent. qu. 94. artic. 4. & 5. per jus naturale, intelligunt jus absolutum universaliter & ad semper obligans, cujus juris naturalis dicunt esse omnia præcepta moralia, quæ ad Decalogum pertinent, & quamvis interdum jus illud ex hypothese decreti & mandati divini immutabile esse pronuntient, tamen per naturam id ita inno-

D.

tesce-

tescere nobis statuunt, ut propterea in se sit
 immutabile, & proinde nec abrogari possit,
 nec desinat obligare. Contra verò Evan-
 gelici ad jus Dei liberum & præcepta qua-
 dam moralia in Decalogo, & plurima alia,
 quæ positivi sunt juris, referunt. Potuisset
 enim Deus alium cultum externum homi-
 nibus præscribere, quàm præscripsit ab
 initiò mundi. Potuisset non instituere res
 novas plurimas quas instituit. Potuisset in
 Novo Testamento etiam per Angelos, aut
 per visiones & somnia voluntatem suam or-
 dinariè & semper revelare, sicuti extraor-
 dinariè in primitivâ Christianâ Ecclesiâ fe-
 cit. Potuisset ante lapsum in primævâ in-
 tegritate constituisse genus humanum abs-
 que Magistratibus, quod re ipsâ tunc factum
 esse disputant Theologi non ignobiles.
 Potuisset communionem bonorum injun-
 xisse etiam, siquidem non injunxerit, quòd
 aliqui colligunt ex constitutione primævæ
 Ecclesiæ Christianæ, quæ communionem
 bonorum introduxit. Act. 2. v. 44. Po-
 tuisset etiam non instituere monogamiam,
 sicuti nunc post lapsum se multa præter
 communes & perpetuas leges aliter præ-
 scri-

scribere posse testatus est, quia voluit & præscripsit, ut filii Adami propriis sororibus copularentur, ut aliquis duceret viduam fratris sui, ut iudex ordinarius poenâ afficeret filios innoxios patris transgressoris, ut pater occideret filium innocentem, & alia id genus deinceps paucis quoque attingenda.

§. 29. Q. VII. *an matrimonia filiorum Adami cum sororibus, Abrahami cum filiâ patris, & Jacobi cum duabus sororibus Liâ & Rachele fuerint incestuosa, & cum turpitudine aliquâ intrinsecâ & formali conjuncta?*
 Resp. Negatur, & possunt hic applicari distinctiones generales antea præsuppositæ. Excepit enim matrimonia filiorum Adami cum sororibus à regulâ communi absoluta necessitas, quia Deo simpliciter non placuit plures mulieres creare, quomodo Heva creata fuerat, & sic non minùs licitè sine ullò peccatò contra jus naturæ contrahi poterant ista matrimonia, quàm Deus ipse in casu non existentis foeminae sine violatione justitiæ ex corpore Adami subtraxit costam ex quâ Hevam formavit, & Adamo in matrimonio conjunxit. Sic ju-

ris naturæ est, ut nemo carnem propriam odio habeat aut lædat, aut mutilet, sed contra foveat ipsam Ephes. 5. Et tamen docet idem jus ac lex naturæ in casu & ex hypothese præsentissimi periculi digitum abscindere, aut corpus vulnerare, ut totum hominem à gangranâ liberares, aut præsentimortem ex carcere aut aquâ eum eripias. Docet natura turpe esse foeminæ, si radatur, & viro, si prolixos capillos alat, 1. Cor. 11. Eadem nihilominus docet oppositum utrobique esse faciendum in casu morbi, aut alterius necessitatis. Docet natura turpe esse uterum inspicere, sed in processu inquisitorio iudex illud potest ordinariè mandare. Est juris naturalis, ut neminem occidas, sed hoc tamen facit immò facere debet Magistratus in justò bellò, vel cum punit facinorosos. Idem quoque unusquisque privatus facere potest & debet in casu iuculpatæ tutelæ. Ordinariò etiam præcipitur Medicis & chirurgis ut urant, secent & ex vi & conscientia vocationis quosvis vulnerent & affligant innocentes, qui modò operâ illorum indigent. Turpe esset aliàs cadavera mortuorum violare vel mutila-

tila
pu
&
Ac
da
Ec
gr
us
sit
or
he
D
da
h
b
te
D
se
se
fu
P
in
c
la
t
c

tilare, sed licitè in bello id fecit David præputia occisorum Philistinorum abscindens, &c. Sed dicat aliquis, exempla filiorum Adami pugnare cum revelatione divinâ Adamo factâ ante lapsum, & post lapsum in Ecclesiâ propagatâ; *Respondeo*: non pugnant cum revelatione divinâ, sed ei potius subordinantur propter notoriam necessitatem absolutam, quæ istum casum præ omnibus aliis specialissimè legitimavit & honestavit, accedente inprimis singulari Dei mandato, immò & revelatione ipsi Adamo ante lapsum simul factâ, & quoad hunc præcipuè casum in Ecclesia etiam publicatâ. Hæc si nondum sufficiant, cogitet ratio, num injustitiæ velit postulare Deum, eò quòd Adamo ante lapsum immiserit lethargum, quò ad tempus lumen sensuum internorum quasi obfuscatum fuit, cui accessit apertio & mutilatio corporis tam innocentis & unâ cum animâ ad imaginem Dei perfectissimè & absolutissimè creati? quidni similiter in filiis Adami post lapsum sine violatione justitiæ divinæ potuisset modò quòdam singulari & soli Deo cognito ad tempus factim obfuscari lumen

rationis & sensuum naturale, ut sic actus
 oppositus non fuerit intrinsecè & formaliter
 malus, sed tantùm extrinsecè & materialiter
 sine peccato conscientiam maculante &
 honestatem naturalem? Simile exemplum
 occurrit in Abrahamo, cui lethargum etiam
 immisit Deus cum metu & terrore magnò
 antequam foedus novum cum illo pangeret,
 & admirandum circumcisionis Sacramentum,
 quod tamen sine peccato integris 40. annis
 peregrinationis Israelitarum in deserto
 intermissum est, institueret, requirens
 ordinariè & ipsius Abrahami & omnium
 ejus posterorum præputia, Gen. 15. & 17.
 Immò, quod magis est, ipsum Christum
 omnium hominum innocentissimum propter
 aliena peccata Deus pater objecit variis
 animi motibus & cruciatibus, quos sine
 peccatò sustinuit, in primis etiam illò
 tempore, cum singulariter tentatus fuit
 secundus ille Adam, eundem non planè
 immunem fuisse à præstigiis & illusionibus
 ludionis infernalis, Theologi quidam
 statuunt, quamvis illud non de
 admissione, sed tantùm de admotione
 illarum præstigiatarum respectu animæ
 Christi

sti

si intelligendum sit, secus quàm in Adami animá factum est, quæ potuit tentationes Satanicas admotas etiam admittere, quod Christi animæ non potest tribui. Denique, conjugio filiorum Adami subfuit mysterium de Christo & ejus Sponsâ, quæ filia & soror ejus sæpiùs in scripturá salutatur. Sicut enim Deus ex unâ carne & sanguine Adami unici voluit propagare totum genus humanum, ex ipso ipsius corpore creando Evam, & filios quoque ipsius cum sororibus conjungeret: Ita etiam ex Christo & in Christo unicò spirituali & parente & sponsò omnis oritur & promanat fidelium & spiritualium ejus membrorum propagatio & conjunctio longè arctissima, castissima, honestissima & sanctissima.

§. 30. In matrimonio Abrahami cum Sarah multæ etiam concurrunt irregularitates innoxie. Si enim Saram duxit in gentilismo, excusat illum jus gentium, inter quas vixit, quod principia cognoscitiva juris divini naturalis jampridem antiquaverat & nuptias sanctiores fecerat exulare. Si verò post revelationes Dei singulares eam duxit, quis tam audax velit esse,

ut negaret, ipsum Deum hoc matrimo-
 nium suasisse & præcepisse? Nam. 1. Pro-
 pheta fuit Abraham, cui Deus apparuit &
 externè per seipsum vel per Angelos, & in-
 ternè per visiones & somnia, Gen. cap. 15.
 20. & 22. 2. eum ut Prophetam in rebus ma-
 trimonialibus consuluit Rebecca, Gen. 25.
 v. 22. 3. in ipsius & Saræ corporibus Deus
 maxima fecit miracula, Esa. 51. Rom. 4. quò
 etiam referunt nonnulli locum Malach. 2.
 v. 15. 4. ex Sarâ debuit nasci Christus, ob
 quod maximum & sacratissimum mysteri-
 um hoc matrimonium peculiariter Deus
 honestavit. 5. addunt nonnulli necessita-
 tem absolutam aut majorem, quia Abra-
 ham fuit Princeps Dei, i. e. excellens & il-
 lustris princeps ex illustri familiâ unâ cum
 Sarâ natus Gen. 23. unctus Domini, Psalm.
 105. cui τὸ βασιλεῦσαι tribuit Nicolaus Da-
 mascenus, & Justinus scriptor gentilis lib.
 36. eum vocat *Regem*, ut notat politissimus
 Grotius super Gen. 23. Ergò ob paucita-
 tem illustrium foeminarum non potuit ex-
 tra familiam ducere aliam uxorem, quam
 ob causam etiam Sara vel tandem ei sup-
 posuit Hagarem ancillam, cùm primari-
 am

am & illustrem aliam uxorem non posset neque vellet ducere, quæ Saræ esset in honore conjugii comparanda, nedum præferenda. Si ergò in hoc matrimonio Abrahami cum sorore *ὁμοπατρία* Sarâ aliquod fuit peccatum, utique non formaliter sed materialiter id tantum peccatum fuisse omninò dicendum est, sine ullà vitiositate morali intrinsecè malâ aut turpi.

§. 31. Parili ratione & facile patriarcha Jacobus à crimine incestuosi matrimonii cum Liâ & Rachele poterit absolvi, quia eum quoque excusat 1. jus gentium, ad quod exsertè provocabat infidus Laban, & cui in terrâ peregrinâ Jacobus non poterat resistere 2. defraudatio Labani imponentis per illud jus gentium Jacobo necessitatem ducendi super Liâ Rachelem. 3. innocentia Jacobi, qui antea non deperibat Liam, sed solam Rachelem sibi destinaverat uxorem, ob quam solam obtinendam tot annis etiam servierat Labano. 4. ipsa desponsatio & pactum matrimoniale cum Rachele solâ initum, quod non potuit solvi per veteratoriam illam defraudationem Labani. 5. justus error & ignorantia Jacobi,

D 5

bi,

bi, cui noctu adducta fuit Lia non sine artibus scenæ huic accommodatis. 6. defectus legis positivæ & peculiaris divinæ revelationis mandantis contrarium. 7. mysterium divinum, quia ex Lia nasciturus erat Christus. 8. exemplum Abrahami, quod nonnulli hic addunt, qui non tantum Deo annuente duxit Saram ex patre sororem, sed in polygamiâ etiam vixit cum Hagare ab ipsâ Sarâ Abrahamo suppositâ, quales sorores ex patre Labano quidem, sed ex diversis matribus prognatas itidem existimant fuisse Liam & Rachelem. 9. necessitas major, quia Jacobus ex illustriori familiâ oriundus eam ob causam à parentibus in Mesopotamiam ablegatus erat, ut ex cognata familia uxorem duceret, sed cum ille se defraudatum à Labano sensit, potius ob claritatem generis voluit retinere utramque sororem, quam ex post-facto aliter se gerere. 10. primogenitura Liæ, quam ordinariè non debuit ob jus gentium, ad quod provocavit Laban, præterire Jacobus, cum & in ipsâ familiâ patriarcharum jus primogenituræ illis temporibus fuerit respiciendum, &c.

§. 32. Qu. VIII. an polygamia Abrahami fuerit contra jus natura, quam contraxit cum Hagare ex consilio Sara? Resp. Negatur, quia à peccato contra conscientiam hoc etiam respectu cum liberavit i. jus gentium, quod secundarias illas uxores proximis illis post diluvium temporibus non tam prohibebat quam jubebat ob propagationem generis humani, quam ipsa suadebat necessitas major & cum illa conjunctum ad tempus rectæ etiam rationis dictamen, cui & principium revelationis divinæ primis illis seculis majore evidentia Scripturæ non contradicit, quamvis eò audaciæ nolim procedere, ut cum Bellarmino dicam, ipsum Deum dispensasse in istam polygamiam, & ordinariam communemque ejus licentiam in claustro arcæ ipsi Noacho revelasse, quæ est vana & carnalis istius Cardinalis conjectura l. c. 2. defectus legis positivæ & peculiaris revelationis divinæ, quæ hîc non adfuit propter easdem necessitates, ut in matrimonio cum Sarâ. 3. simplex ignorantia & justus error Abrahami, qui nescivit adhuc, an per Saram; an verò per aliam fœminam promissum.

se.

semen debuerit nasci, quæ justa ignorantia etiam ipsam Saram à peccato graviore & moraliter vitiosò excepit. 4. mysterium hujus polygamix singulare ab Apóstolò propositum Gal. 4. quod innocentix Abrahami applicavit Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 4. ubi easdem ferè rationes, quas hic posui, adducit, nempe: non fuisse eò tempore lege positivá adulterium prohibitum, id est, polygamiam, quæ nunc esset adulterium; non ardore libidinis id fecisse Abrahamum, sed amore posteritatis, & de consensu uxoris, & tandem ejus rei poenitentiam egisse per ejectionem Hagaris & Ismaelis ex familia domestica, quæ facta fuerint ad aliquid futurum significandum juxta Apostolum ad Galat. 4. &c.

§. 53. Q. IX. *an ipse Deus dispensaverit in ejusmodi matrimonia & polygamiam sanctorum Patriarcharum?* Resp. Negatur contra Bellarminum, qui Augustino & Hieronymo fusque deque habitò hic provocat ad suum Papam Innocentium III. & Scholasticos papizantes, quibus tamen ipse Rationista maximus, Durandus, Ratio-

tionalis missatici autor, & magister cere-
 moniarum communissimus, fatente Bel-
 larmino, non potest reconciliari. Nos
 verò antiquam Augustini & Hieronymi
 Theologiam jure optimò longè antepo-
 nimus novitiæ opinioni Papæ Innocentii
 III. & Scholasticorum. Rationes negan-
 di sunt, quia 1. nulla prostant divinæ dis-
 pensationis exempla, adeò ut ipse Bel-
 larminus laudârit dictærum B. Lutheri,
 ubi scripsit: mirabile esse, Exempla Pa-
 triarcharum semper fuisse libera & licita:
 & tamen nullum probum virum nomina-
 ri posse, qui in totis 1500. annis exem-
 pla illa imitatus *cum laude* fuerit. Si
 semper fuerunt libera & licita non tan-
 tum exempla Patriarcharum, sed etiam
 sine laudabili imitatione; quid opus er-
 gò fuit dispensatione divina? 2. non
 formaliter sed materialiter tantùm peccâ-
 runt sancti Dei viri in contractis illis ma-
 trimoniis haud secus atque aliquis fortè
 ex ignorantia peccat in re aliqua, quam
 putavit esse justam rectamque, sed ex
 post-facto cognoscit *ἀνομαλίαν* aut *ἀνο-
 μίαν* quandam se admisisse aut commisisse.
 ubi

Ubi ergò non subfuit formalis ratio peccati intrinsecè mali, ibi etiam non opus fuit dispensatione divina, quia dispensatio nulla datur nisi peccati, quod vitiositate aliqua morali laborat, & quodammodo turpè est vel communi honestati adversum. Laudo itaque Dn. D. Bucholtzium, qui in Vindinciis Havemannicis pag. 58. hæc posuit verba: *Jacobus & David non minus conscientiam habentes ac Havemannus facile polygamiâ abstinuissent, modò tantùm cognitionis de sextò præcepto habuissent.* Si infkes: Cur autem Deus viris tam sanctis id non revelavit, quod antea aliter esse voluit à principio? Resp. Tu non es καρδιογνώστης ac Deus est, qui justè ob σκληροκαρδίαν Judæorum etiam post latam legem Mosis permisit repudium legitimarum & honestarum uxorum. Sufficit igitur à principio communiter & ordinariò id aliter voluisse Deum. Cur aliter postea permisit fieri, & neque novâ revelatione aut præscriptò prohibuerit, neque sic peccantes pœnâ ordinariâ affecerit, non liquet. Vide Actor. 13. v. 18. de tolerantia Dei erga Israelitas in deserto, quibus tamen

volun-

voluntatem suam tam clarè per Mosè re-
 velaverat Deus, & miraculis maximis plu-
 rimisque illustraverat. Non tenetur Prin-
 ceps tuus terve quaterve placata semel at-
 que iterum publicata repetere. Potest
 etiam illis, qui ex ignorantia juris pec-
 cant benigniùs ignoscere & transgressiones
 illorum, etsi non diliget vel approbet eas,
 tolerare & prætermittere faciliùs, quàm
 illorum, qui maliciosè & pervicaciter sive
 ex ignorantia affectata placatis communi-
 bus resistunt. Cum fructu sanè conciona-
 bitur præco Dei, si auditores ita fuerit al-
 locutus: charissimi! quis tam segnis aut
 demens esset subditus, ut velit ultrò ne-
 scire communia & prima statuta Principis
 aut Magistratùs sui, ne vel inscius incurrat
 poenas? Noveritis ergò & vos, semel tan-
 tum annunciatum esse Evangelium univer-
 so mundo. Hoc vos debetis scire & salu-
 tariter per fidem apprehendere; secus au-
 tem justè condemnabimini ob vestrà igno-
 rantiam & dementiam, neque vos ullò
 modò excusabit, quòd Deus per novam
 aut denuò repetitam annunciationem Ev-
 angelii, vel per quamcunque aliam reve-
 latio-

lacionem communem vobis hactenus noluerit voluntatem suam aperire!

§ 34. Q. X. an verò polygamia impii Lamechi & aliorum antediluvianorum non fuerit peccatum contra jus natura cum moralitè turpitudine intrinsecè conjunctum, atq; adeò polygamia in se & in oppositione ad monogamiam à principio institutam sit re ipsa & aliquando ante tempora Christianismi fuerit turpis & damnosæ hominum quorumcunq; in mundo perditæ & deperditæ concupiscentiæ & congressu? Resp. Affirmo πάντως. & simpliciter probo rationes Bellarmini, quibus ille demonstravit lib. 1. de matrimo. sacram. cap. X. polygamiam in se esse peccatum contra jus naturæ moraliter malum, nempe temerariam & contra revelatum Dei jus de monogamia voluntariò susceptam, qualem fuisse impii Lamechi & reliquorum antediluvianorum extra dubium est. Nam i. vita illorum hominum fuit longæva, unde & voluntatem Dei Adamo revelatam & in Ecclesia publicatam meliùs potuissent cognoscere, modò voluissent viventes adhuc patriarchas, qui ipsi Adamo fuerunt cœtanei consulere, & non

pe-

potius longævitæ vitæ, quæ tunc singulare Dei donum fuit, ad carnalem securitatem & libidines turpissimas abuti, 2 ipse CHRISTUS nuptias illorum hominum damnat, & cum libidinibus ipsorum Sodomitarum ferè comparat, cum quibus & eadem ferè poenâ finalis exitii illos affecit divina nemesis & vindicta, Matth. 24. Luc. 17. quò etiam nonnulli referunt locum Job. 22. v. 16. 17. 18. 19. 20. 3. Spiritus Sanctus per os sanctorum patriarcharum redarguit illos de peccatò hóc ante diluvium, sed illi potius voluptatibus suis velificantes duxerunt quas & quot voluerunt ex filiabus hominum, Gen. 6. v. 1. ubi per filios Dei (Hebr. Elohim, Deorum) nihil prohibet intelligi filios magnatum, ditiorum, potentiorum, qui leges & divinas & naturales in suam potestatem pertrahentes nuptias contraxere pro lubitu, quomodò idem in extremis etiam hujus mundi quisquiliis sectatoribus suis permisit liberè & in paradiso multò magis promisit spurcissimus Muhamedes, & moderni quoque Tattari non tantum polygami sunt, sed etiam inter plures uxores duas vel plures sorores in matri-

E

mo-

monio habere consueverunt teste CL. Olca-
rio Orient. pag. 345. edit. anno 1650. Hi
magnates antediluviani eodem capite Ge-
neseos vocantur *viri nominis*, id est, clari,
prælustres, insignes. Vocantur etiam *Ne-
philim, cadentes*, quia vi impetuosâ in ali-
os de plebe homines incidentes filias illa-
rum diripuere, juxta illud: *Sic volo, sic
jubeo &c.* Talem raptorem fuisse impium
Lamechum ex thraſonicâ & imperiosâ e-
jus locutione ad mulieres Adam & Zillam
apertè colligitur, neque omninò vana con-
jectura videtur, eum vi tyrannicâ occi-
disse priores maritos harum mulierum,
quò ambabus iis potiri potuerit fortè sororibus
aut proximè agnatis, quæ an indigna-
tione suâ propter hoc facinus justissimâ ra-
ptorem ad thraſonicas illas comminatio-
nes provocârint, an verò Herodiadis in-
ſtar in Lamechi homicidia, raptum, adul-
terium & incestum consenserint, incer-
tum est.

§. 35. Q. XI. *an ante Mosis tempora
non tantum polygamia & nuptie in gradibus
prohibitæ, sed etiam ipsum adulterium fue-
rint res in se adiaphora, & nullâ turpitudine*

mo

morali nondum existente lege morali & posi-
tivâ intrinsecè affecta ? Resp. hanc senten-
 tiam Ambrosio quidem vult affibulare Bel-
 larminus, cùm dicit: Ambrosium non ae-
 liter omninò potuisse ipsum Abrahamum
 absolvere à crimine adulterii, quàm quòd
 dixerit: *mysterium subfuisse ipsius poly-*
gamiæ cum Hagare contractæ. Sed non,
 tàm crassum ac crudum fuisse Ambrosium
 ex additis aliis ejus rationibus apparet, cùm
 dicit: *non ardore libidinis, sed amore po-*
steritatis id fecisse Abrahamum, & quidem
de consensu uxoris Saræ. Quicquid sit; nos
 Scripturam sequentes non minori authori-
 tate possumus postponere Ambrosium Scri-
 pturæ, quàm Bellarminus postposuit Hie-
 ronymum, Augustinum & Durandum præ-
 cipuum inter Scholasticos suo Papæ Inno-
 centio III. & Scholasticis. De cœterò ne-
 gamus quæstionem totaliter quia 1. Jose-
 phus *magnum peccatum* vocat adulterium,
 contra Deum, quod ipsi intentabat Potipha-
 rissa. 2. vocatur etiam *exsertè factum tur-*
pe & delictum ante judices, Job. 31. v. 11. Est
 autem denominatio ista adulterii facta an-
 te Mosis tempora, ubi justi judices fuerunt

tum inter gentes quodammodo illuminatas, ubi Jobus habitavit, tum inter ipsos idololatricos Ægyptios, qui perpetuis carceribus, uti exemplo Josephi castissimi planum est, adulteros damnabant. Si dicas, cur ergo polygamia & nuptiæ in gradibus prohibitis & ante & post Mosis tempora non denotantur iisdem nominibus? Resp. De polygamia ante Mosis tempora res jam factis est explanata. De nuptiis in gradibus prohibitis vide mox Quæstionem XIII. sequentem.

§. 36. Q. XII. *an tamen diutiùs post Mosis tempora David & Salomon suâ polygamiâ, qua omnium insolentissima videtur, non peccârunt contra jus naturæ formaliter & moraliter vitiosè?* Resp. Affirmatur secundum quid & certò respectu, quatenus peccârunt contra quædam principia cognoscitiva juris naturæ hypothetici divinitus revelati, non autem contra omnia simul; & sic non absolutè in forò conscientiæ fuerunt damnandi ob violatum jus naturæ hypotheticum *ὀλικῶς* sic dictum, sed tantùm *μερικῶς* sive partialiter, pro ratione & modulò cognitionis in conscientiâ pro diversitate graduum.

duum peccati in actibus divinae legi & revelationi oppositis diversimodè obligantis, quia salvò unò atque alterò principio cognoscitivo primario cognitio illa immunem potuit præstare conscientiam etiam illorum virorum Dei, quò minùs mortaliter & existentialiter peccârint, quamvis non ab omni peccatò veniali & per hoc attractâ poenâ temporali in iudiciò Dei & Ecclesiæ potuerint absolvi atque excusari. Vide Psalm. 19. v. 13. 1. Reg. 3. v. 9. & cogita legem Regibus Israeliticis præscriptam à Mose, quod non debeant multos alere equos, non alienigenis mulieribus copulari, non graviora tributa subditis imponere, multò minùs, quod omninò est peccatum mortale, idololatræ in gratiam mulierum effici, aut idololatriam promovere, quod aliquando fecit Salomo profanum sic potius secutus spiritum quam propheticum non minùs ac ipse David suò adulteriò homicidiò & conscriptione populi fecerat, &c. Excusandus itaque uterque est in tantum non in totum. Quidni enim hi sancti etiam tunc temporis potuissent peccare tangendo picem, id est, imaginando sibi aliquid priorita-

tis sine ullâ absolutâ aut majori necessitate
 & neglectâ insuper divinâ prophetiâ non-
 dum plenè cognitâ ab ipsò Deo ; (Vide simi-
 le exemplum erroris in quæstione facti quo-
 ad ædificationem templi in duobus Prophe-
 tis Davide & Nathan, 2. Sam. 7. 1. 3. 4. 5. &
 in Samuele quoad electionem Regis à Deo
 rejecti, 1. Sam. 16. v. 6.) vel attrahendo ali-
 quid in rebus politicis & œconomicis vitiosi
 ex consuetudinibus vicinarum gentium,
 quibus populus Dei propriâ suâ culpâ ob non
factam ob initiò occupationis terræ Canaan
totalem illarum à Deo mandatum excisio-
nem semper fuit circumdatus & intermix-
tus, ut inde nullò non tempore etiam post
 constitutam Rempublicam Judaicam flo-
 rente insuper Prophetiâ & Sacerdotiò, ca-
 put erexerit cacoëthes antiquū polygamix
 temerariæ vel ad minimum non necessariæ
lege Mosis longè antiquius, & ante ipsum di-
luvium infelici sidere natum, veluti & ho-
 die videmus & dolemus ex supersticioso pa-
 patu, quod omnimodè fas erat post rena-
 tum Evangelium in Ecclesiis Evangelicis ex-
 stirpari, pravas nonnullas in animis malè e-
 ruditorum superesse consuetudines, quæ
 ac-

accuratiùs in re quoque matrimoniali examinatae, non possunt non, quomodo etiam ogganniat sciolus, sub peccati aut erroris alicujus censuram revocari; quamvis damnable id esse peccatum aut exitiosum errorem nemo prudens & ingenuus tam facile dicturus sit, atque pulverem proprio palliolo collectum excutere potest soletque secundum istud pervulgatum: *Ilicos intra muros peccatur & extra!* Si tu autem & hic dicas, legitimasse vel honestasse ipsum Deum etiam polygamiam Davidis cum uxoribus inimici sui Saulis, quia 2. Sam. 12. v. 8. per Prophetam Nathan hæc verba præceperit deferri ad Davidem: *Ego dedi uxores Dominorum tuorum in tuum sinum?* Respondeo: me equidem fateri, quod phrasis hæc à Sarâ quærulâ & facti pœnitente fuerit usurpata, describendæ polygamie Abrahami & Hagaris, Gen. 16. v. 5. Sed quod eadem proprietate verborum de polygamia Davidis cum uxoribus Saulis intelligi debeat, prolixè nego. Obstat enim i. matrimonium Michol filie Saulis cum Davide, quod nulatenus concessit dari propriè uxores Saulis, inter quas Micholis mater fuit, in si-

num Davidis. 2. non dicit Nathan in singulari, *mulieres Domini tui*; sed in plurali, *Dominorum tuorum*, id est, tam ipsius Saulis quàm filiorum ejus, qui omnes fuerant Domini Davidis ante possessionem Regni; unde constat de occupatione & dominio à Deo Davidi tradito, non de matrimonio cum omnium suorum Dominorum uxoribus & pellicibus loqui prophetam, qui jam dixerat ex ore Dei: *Ecce dedi tibi uxores Dominorum tuorum*, id est, tradidi ad occupandum, subjeci dominio. Sic eadem locutione impropria usus est ipse David Psal. 89. v. 3. ubi dicit: *In sinu meo confirmasti veritatem*, uti Buxtorffius in concordantiis Hebraicis Radice *Cbeck*, vertit: id est, in regnò vel dominiò meò nunc reipsa dedisti & exhibuisti antea promissa per veritatem verbi, ut quasi per sortem in meum sinum omnia ceciderint hactenus expectata. Sic per sinum ipsius boni pastoris CHRISTI intelligitur ejus regnum & potestas, Esa. 40. v. 11. collat. 2. Sam. 12. v. 3. Sic portare se dicit ignominiam à multis populis David in sinu suo, id est, in regno suo, Psal. 89. v. 51. que-

quomodo & illa phrasis occurrit μεταφορικῶς
 accipienda Pſal. 79. v. 12. Eſa. 65. v. 6. 7. Je-
 rem. 32. v. 15. Luc. 6. v. 37. & cap. 16. v. 22. 23.
 collat. Matth. 8. v. 11. nec non Iohan. 1. v.
 18. ubi per ſinum patris intelligitur regnum
 patris æternum, in quò filius cum patre fuit
 & regnavit πρὸς τὸν κόσμον ἕναί, Ioh. 17. v. 5.
 3. per mulieres ergò traditas in ſinum, id eſt,
 in poteſtatem Davidis, non uxores Saulis &
 filiorum ejus, ſed gynæceum regium ca-
 ptum à Davide, non matrimonio ei jun-
 ctum Theologi intelligunt, quia etſi hoc
 pacto in ſinum vel poteſtatem Davidis re-
 ductæ fuerunt, non tamen ei licuit illis abuti
 Conf. 1. Sam. 24. v. 11. & 2 Sam. 16. v. 21. Sic Alex.
 Magnus captis uxore, matre & reliquis con-
 cubinis Darii cum laude pepercit & nullam
 earum ſinu excepit carnaliter eas agnoſcen-
 do. Idem fecit David erga Abiſag de Su-
 nem, quæ quidem in ejus ſinu cubavit, id
 eſt, in uxorem conſenſu Davidis accepta,
 eſt ad ei miniſtrandum, ſed David eam
 carnaliter non agnovit ut eſt 1. Reg. 1. v.
 2. 4. Eodem ſenſu metaphorico per ſenſum

E s

ali-

aliqui intelligunt cor Davidis, ut sit sensus :
Dedi tibi in sinum vel pro sinu, id est, pro
 cordis tui voto & desiderio omnia tibi sub-
 jeci, etiam uxores Dominorum tuorum,
 quæ est extrema subjectio hostium & glorio-
 sissima victoria amicorum Dei, quomodo
 sinus ponitur pro corde & cordis desiderio
 Job. 19. v. 27. Psal. 35. v. 13. Prov. 6. 27. Ec-
 cles. 7. v. 9. & sic vulgò dicimus *in sinu gau-
 dere*, i. e. in corde., vel pro cordis voto &
 desiderio. Nec desunt præterea, qui verba
 prophetæ contra istam polygamiam illicitam
 & sic proprio sensu interpretantur !
*Dedi tibi mulieres Dominorum tuorum in si-
 num tuum*, id est, cum tu esses vilis & ab-
 jectus opilio, ego ad maximos honores te
 exexi, & mulieres, i. e. unam ex illustrissi-
 mis filiabus Domini & Regis tui Saulis, nem-
 pe Micholem tibi dari feci in conjugem.
 Sicut enim Saul ob regiam dignitatem in
 plurali vocatur *Domini*, quomodo ob ean-
 dem causam vocatur Abraham Gen. 24. v.
 10. & Potiphar cap. 39. v. 2. & Malach. 1. v.
 6. dicitur : *servus debet honorare Dominos
 suos*, id est, Dominum suum potentem :
 ita & Michol in plurali nominatur *mulieres*,
 id

id est, illustris & regia foemina vel virgò, antequam David eam in sinum conjugalem acciperet, quomodo per *radices* stirpis Jesse, unica nobilissima stirps domûs regiae Davidis intelligitur | Esa. 11. v. 1. & per natos ex *sanguinibus*, Johan. 1. v. 13. nati ex illustri aliquò sanguine aut familiâ. Hâc ratione etiam in singulari per *mulierem* quidam intelligunt illustrem & potentem mulierem ipsâ lege Levitici cap. 18. v. 18. tantoperè disceptatâ insinuatam, quasi diceret legislator: cum primâ vice duxisti in uxorem pauperulam, vilem, abjectam, non debes ei superinducere illustrem, potentem, divitem, ne per eam contemptui habeatur & affligatur in omni vitâ ejus, quia ego sum Dominus Deus tuus, apud quem non datur respectus personarum. Confer Deut. 21. v. 15. 16. 17. & vide quoad vocem plura in speculo propinq. conjug. DN. BUGÆI pag. 3. 4. 5. Denique & hic se pandit immensa Dei misericordia & longanimitas ergâ homines peccatores naturâ pronos ad peccandum contra sextum in primis præceptum Decalogi, cujus actus oppositi omnes & singuli non fuerunt cogniti quoad obligatio-

tio-

tionem hodiernam sanctis viris sub lege veteri, uti verè antea audivimus pronunciantem Dn. D. Bucholtzium. Quid enim? annon in ipsa genealogiâ Christi conspicuæ sunt etiam mulieres sanctæ Rahab, Ruth & Bathseba, quæ aliquando meretrices, adulteræ, incestuosæ, idololatricæ fuerunt, ex quibus tum David Rex & Propheta Deo gratissimus, qui non tantum polygamus, sed & adulter olim fuerat, tum sapientissimus sanctissimusque Rex Salomon super omnes, quorum scriptura meminit, polygamus, descendunt? Taceo quæ de utràque germanâ sorore Davidis Zerujâ & Abigal Dei Spiritus indicat circa eadem contra Decalogum peccata moralia, ne cornicum oculos configere videar. An matrimoniô Abrahami & Jacobi patriarcharum eadem divinitus insinuata fuerit consolatio, in medio relinquere malo, quam definire. Ita scilicet visum fuit misericordissimo Deo mittere filium suum in similitudine carnis peccatricis, ut faceret ex gratiâ, quod legi erat impossibile! Ita etiam ipse Christus *ὁ ἀναμαρτυρῶς* factus est pro nobis peccatum, ut

ut, nos in ipso & per ipsum efficeremur
 iustitia coram Deo consistens! Vide I. Tim:
 I. v. 15. 16. & confer Luc. 2. v. 22. ad quem lo-
 cum magnum illud Belgii decus & vir lite-
 rarum orientalium, si quisquam alius, pe-
 ritissimus Dn. Ludov. de Dieu pag. 255. com-
 mentarii in Lucam hæc verba, quæ lectio-
 ne digna de ipso Christo & matre ejus sem-
 per-virgine sanctissimâ laudatissimaq; non
 pigrabor huc iutegrè transcribere. Sic e-
 nim ait post alia ad sacram philologiam
 spectantia: Etsi purificationis lex ad solam
 matrem expressè pertineret, dubitari ta-
 men nequit, quin & infans eâ fuerit com-
 prehensus. Quum enim etiam qui im-
 mundum contrectaret, immundus ha-
 beretur, quamdiu immunda erat mater,
 erat & infans, qui in sinu ejus gestabatur,
 & lacte ejus alebatur. Hinc factum, ut,
 sicut mater toto immunditiei suæ tempo-
 re, 40. scilicet diebus, si marem peperis-
 set, à sacrariò arcebatur, filius quoque
 primogenitus non nisi elapsis istis diebus
 tanquam DEO sacer, sisteretur, eodem
 scilicet tempore, quo purificationis munus
 effe-

offerebatur. Nec prætereunda sunt verba
 Mosis Levit. 12. v. 6. *Et quum impleti sunt dies purificationis ejus pro filio aut filia, adferet agnum &c.* unde manifestò liquet, tempus purificationis respectum habuisse ad infantem, & pro ratione filii aut filia minus magisve fuisse dilatatum. Quum ergo Servator quoque noster legi divinæ fuerit subiectus, nullum impietatis crimen est, si eum unà cum matre suâ ad quadragesimum usque diem juxta legem ceremonialem immundum fuisse habitum dicamus. quin & mirificè id nos impuros peccatores solatur. Hæc ille, quæ utinam sanctuli parthenolatæ Lojolitici & Franciscani Dominicanomastiges rectiùs perpenderent, & vel tandem omissis vanissimis & in ipsius Christi Servatoris unicè sanctum & salvificum meritum injuriosissimis idolomaniis, propriaque sanctimonix alicujus stultissimis imaginationibus, in viam veritatis antiquissimam rectissimamque in solâ verè catholicâ & Apostolicè - Evangelicâ JESU CHRISTI Ecclesiâ post abrogatum Dei omnipotentia antichristianum papatum, clarissimâ Evangelii prædicatione ostensam redirent, & à cultu,

tu,

tu, adoratione, supplicique invocatione
 Dæmoniorum sive idolorum papalium se
 converterent, quod magis optandum
 quàm sperandum est, juxta ipsius Spiritûs
 Sancti vaticinium 1. Tim. 4. v. 1. Apoc. 9. v.
 20. ad quem postremum locum vide anno-
 tationem Theologorum Batavicornum §.
 29. & imprimis Josephi Medi doctissimi in-
 terpretis Anglicani, quem præcipui Theo-
 logi Evangelici harum etiam terrarum ob-
 scriptionis raritatem in delitiis habent, in
 clave apocalyptica impressa Cantabrigiæ
 anno 1649. pag. III. III. & Johannis Clave-
 ri Theologi Dani diluculum apocalypti-
 cum pag. 377. col. 1. & DN. BUGÆI via ve-
 ritatis planæ partem. 2. oppositam impo-
 sturis papatûs de Catharinâ Senensi & aliis
 sanctis phreneticis superstitionis antiquæ
 testibus indubitatis & publicis publicandis-
 que in horas, si modò quis Typographus
 expensis sufficiens suam offerret operam.
 Adde eundem Dieu l. c. pag. 256. circa me-
 dium, ubi & hæc de ipsò Christò annota-
 vit: Arabs simpliciter vertit: *Et offerretur*
pro eò. *Observe pro eò, id est, pro Chri-*
stò. Nam & v. 22. quædam exemplaria le-
 gunt

gunt & κατὰ τοὺς αὐτοὺς. ut ex codice apud Eustathium Vignon edito anno 1587. cui notæ Cl. Casauboni in fine sunt adjectæ, apparet.

§. 57. Q. XIII. *an idem de illis statuendum sit, qui post latas & introductas leges Mosaicæ in gradibus prohibitis Levitici CAPP. XVIII. & XX. expressis, matrimonium contraxerunt?* Respond. Affirmatur, & potest hic etiam illis, qui ἀδελφοποιῶν nescio quam his legibus tribuunt, opponi fortiùs 1. natura & qualitas intrinseca harum legum. quibus Deus populum suum voluit discriminatum à Cananæis, qui finale exitium peccatis iuis contra has leges etiam inscii sibi attraxerant, uti ex D. Chamiero peculiariter monuit autor Speculi propinquit. conjug. pag. 144, 145. Vide Levit. 18. v. 24. & seqq. cap. 20. v. 22. & seqq. 2. defectus alicujus dispensationis divinæ, quæ contra has leges post Mosis tempora facta esse ordinariè non legitur, exceptò casu specialissimò & rarissimò Deut. XXV. legibus hisce superadditò extra communem ordinem. 3. periculum transgressionis, quia hoc sine has leges promulgavit Deus,

ne

ne Israelitæ temerè secuti exempla patriarcharum, inscii etiam ob falsò præconcep-
tam eandem licentiam, easdem Cananæo-
rum quoque pœnas & judicia divina incur-
rerent, aut illorum peccatis amplius com-
municarent. 4. singularis pœnæ denuncia-
tio verbis illis Levit. 20, v. 21. *Sine liberis sun-
to*, expressa, de quâ vide expositiones B. Lu-
theri & aliorum Theologorum atque inter-
pretum celebriorum apud DN. BUGÆUM
pag. 144. 5. repetitio & confirmatio earun-
dem legum facta etiam in novo Testamen-
to Matth. 14, v. 4. 6. observatio strictissima
aliarum legum in Levitico præscriptarum,
quæ nullam ἀναφορὰν admittunt, sed con-
tra potiùs maximum voluntatis divinæ rigo-
rem præ se ferunt docentque. 7. praxis &
consensus Christianæ Ecclesiæ in primis Ev-
angelicæ ante & post papatum. 8. confessio
hodiernorum quoque Judæorum in libris
suis symbolicis & authenticis citata ex clave
Talmudicâ D. Constant. L'Empereur à DN.
BUGÆO pag. 106. 107. &c.

§. 58. Q. XIV. *an post laticas leges po-
sitivas Mosaicis magis peccarint con-
tra jus natura hypotheticum polygami; an
verò contrabentes in gradibus Leviticò probi-
bitis?*

F

bitis?

bitis? Resp. Affirmatur de polygamiâ temerariâ, qualis fuit antediluvianorum facta directè citra ullam necessitatem contra prophetiam, sacerdotium, & reliquia principia cognoscitiva juris divini naturalis hypothetici; secus autem negatur, quia nullâ *lege Mosaicâ positivâ directè & ordinariè eodem modò, eademque severitate prohibetur polygamia quâ talis, ac matrimonium in gradibus Leviticò exsertè denominatis & præscriptis.*

§. 39. Q. XV. *an lege Deuteronomii CAP. XXI. v. 15. præscripta & confirmata fuerit polygamia?* Resp. Negatur; quia aliud est legem ob consuetudines humanas jure gentium olim introductas & certis casibus aliquandiu toleratas, limitare, circumscribere, restringere; aliud verò præscribere & confirmare simpliciter rem in se prohibitam & institutioni primæ conjugii contrariam, quod posterius de sanctissimo DEO nostrò non potest affirmari.

§. 40. Q. XVI. *an lege Levitici hic disceptata ex cap. 18. v. 18. eadem limitatio & restrictio polygamia ob afflictionem primæ conjugis à conjuge secundarum aut tertiarum nuptiarum.*

nuptiarum potentiore metuendam, indicetur?

Resp. Judicet hic quilibet conscientiosus si-
ve Theologus siue Jureconsultus. Ego ha-
ctenus nihil definitio.

§. 41. Q. XVII. *an lege Deuteronomii
Cap. 25. v. 5. præceptum matrimonium pugnet
cum jure nature aut cum lege Levitici cap. 18.
v. 16. præscriptâ?* Resp. Negatur ob ratio-
nes à DN. BUGÆO allatas in speculo pro-
pinq. conjug. quæst. XV. Theologicâ, pag.
115. & seqq. Adde jam obiter, nomine fra-
tris, qui fratris viduam ducere debuit, Theo-
logos Heidelbergensis in Bibliis Francofur-
tensibus, quæ nuper cum notis Theologo-
rum Batavicornum, D. Tossani, D. Deoda-
ti & aliorum, typis germanicè expressa, &
Serenissimo Potentissimoque Electori Bran-
denburgico, ejusdemque Serenissimæ con-
jugi inscripta sunt, intelligere quemvis eti-
am viduæ fratris agnatum vel adfinem, ex
familiâ aut cognatione mariti, uti versio Lu-
theri habet.

§. 42. Q. XVIII. *an ordinariè & sem-
per quilibet possit contra has leges in Leviticò
contrahere nuptias?* Resp. Negatur, quia
ordinariè & semper hæ leges obligant con-

trahentes in conscientia ex cognitione juris divini naturalis hypotheticè sic dicti, ubi in hoc vel illo subjecto datur illa cognitio, & quò magis minusve illa datur, eò magis minusve etiam obligat & prohibet in foro conscientia Theologico vel Ecclesiastico.

§. 43. Q. XIX. *an itaque Theologus praesertim Evangelicus non possit in forò conscientia contra illas leges pronunciare?* Respond. Affirmatur, quod non possit, quia illum quò Theologus est aut esse vult, non potest neque debet latere illa cognitio juris naturalis hypothetici in verbò Dei revelati, contra quam cognitionem si ille peccaret, utique peccaret magis & gravius quàm alii pronunciantes in contrarium; immò ignorando etiam magis peccaret, quia esset ignorantia juris divini ad potiorem partem scientia Theologicae pertinens, & multas veritates divinas illustrare, probare, confirmare valens.

§. 44. Q. XX. *an verò Theologus praesertim Evangelicus non possit neque debeat improbare dispensationes summorum Principum & Statuum Evangelicorum factas contra has leges*

leges in Levitico praescriptas, si pronunciare debeat in foro politico? Resp. Affirmatur quod non possit debeatque quia eò usque se non extendit officium Theologi, ut saltim, quò Theologus est, in dubium vocet nedum improbet dispensationes & jura supremi Magistratùs Christiani atque Evangelici, quæ ad forum politicum pertinere jura communiter à Christianis recepta, & observantiâ publicâ confirmata docent atque inferunt. Potest tamen & debet Theologus quò talis in foro etiam politico rogatus & postulatus pro conscientia respondere in hunc modum, uti communiter omnes aut plerique Theologi Evangelici hactenus in medium publicis scriptis confuluerunt, nempe: esse & videri sibi omninò tutius, simplicius, rectius, & veritati verbi divini revelati convenientius, si potius ante contractas nuptias ab ejusmodi matrimonii sibi caveant & prorsus abstineant contrahentes, quàm ut demùm post contractas nuptias dispensatio fieri, & sic ex post-facto propter necessitates singulares & maximas in casibus rarius aut rarissimè incidentibus aliter in supremis Dicasteriis pronuntiari & judicari debeat, quàm leges hæc divi-

ne prescribunt. Hâc responsione vel tandem quæstiones matrimoniales ex ipsâ Scriptura propositas finio cum Dn. B U G Æ O eodem modo Theologicè sententiam suam proponente sub finem speculi propinquitatis conjugalìs pag. 149. Addo & hoc; posse & debere Theologum Evangelicum rogatum & postulatum pro conscientia respondere ex legibus & constitutionibus sive Ecclesiasticis sive secularibus summorum Principum & Statuum Evangelicorum, si idem præscripsissent contrahentibus ante nuptias, quod leges hæc divinæ prohibent, ut eò magis conscientia intra præfixos legum & divinarum & humanarum limites se contineant, neque temerè sine ullâ necessitate absolutâ aut majore sibi sumant, quod aliî devili etiam plebe velint sibi concedi, aut quivis olitor, cerdo ac bajulus regulariter imitari. Si autem ex post-factò respondendum fuerit de matrimonio illustrium cum primis personarum in gradibus lege divinâ & humanâ prohibitis; non minùs erit quoque tutius simplicius & veritati verbi divini convenientius, si Theologus Evangelicus in forò conscientia rogatus & postulatus ad

se.

seriam poenitentiam factos jam conjuges ex
verbo Dei adhortetur, & ut pro dictamine
propriae conscientiae ob datum quocunque
modò scandalum Ecclesiae etiam satisfaci-
ant, moneat postuletque, uti par est; quo-
modò sub initium hujus seculi id fecit suò
quoque locò Romanus Pontifex longè ali-
ter ex cathedrâ forinsecus saltim pronun-
tiano quàm antecessores fecerant dispen-
sando in gradibus ferè omnibus legibus his- 13
ce Levitici prohibitis, quarum dispensatio-
num exempla insigniora sollicitè & eruditè
collegit ex Theologis Reformatis D. Cha-
mierus locò à DN. BUGÆO pag. 144. alle-
gatò. Cùm enim Cardinalium non-nemo
in Consistoriò papali instaret, ut Papa dis-
pensaret juxta legem Levitici cap. 18. v. 18.
in matrimonium summi alicujus Principis
Romano-Catholici cum defunctæ uxoris
sorore; Respondit Papa: *Se vel tandem,*
posse consentire in istud matrimonium, si modò
& ipse Deus consenserit! Vox mehercule
egregia & Pontifice digna, cui tamen parùm
aut nihil favet pronuntiatum Cardinalis Bel-
larmini dicentis lib. 1. de matrim. cap.
27. pag. 260. col. 1. *Non probavit Brentius*
suam

suam propositionem: sed probemus nos modò
 ex eius principiis, illam esse falsam. Lex Ce-
 saris prohibet conjugium cum sorore uxoris
 mortua, quod conjugium non prohibet lex Mo-
 sis, ut ibidem Brentius concedit. Hæc ille.
 Adsit ergò non Davus sed Oedipus, qui col-
 ligat, denegationem vel suspensionem po-
 tius dispensationis illius Papæ aut si mavis
 Cardinalium respectu summi istius Princi-
 pis non magis spectasse satisfactionem ali-
 quam insigniorem Ecclesiasticam, quàm il-
 legitimitatem matrimonii! Remittendum
 itaque hoc meritò ad scrinia pectoris pa-
 palis & cardinalitii, quò in taxâ pœniten-
tiariâ cameræ Apostolicæ jubente, ordina-
riè tantum à monachis & monialibus pro
lapsu carnis libidinosò intra & extra septa
monasterii semel commissò solvendi sunt
36. Turones & 3. Ducati, ut fiat dispensa-
 tio pro restitutione ad sacros ordines cum
 monacho & moniali in quemcunque con-
 gressum cum consanguineis aut affinibus,
aut etiam filiò vel filiâ spirituali ex baptismo
 susceptis, imò in crimen etiam Sodomie
 cum homine aut bestiâ contra naturam
 commissum pro maiore taxæ summâ de
 qua

quã vide eandem taxam pœnitentiariam sub
 rubricã *de lapsu carnis & bestialitate*, can. I.
 2. & seqq. en tibi ô Christianum pectus, pœ-
 nitentiariam sedis Apostolicæ sanctitatem
 & sedentariam Apostolicæ sanctitatis pœ-
 nitentiam ! ô saniores Ethnici, qui multò
 sanctius & honestius juxta leges positivas &
 jura gentium vixistis, & in hujusmodi hor-
 renda flagitia ex solo lumine naturæ nun-
 quam dispensandum esse judicãstis ; quid
 respondebunt vobis hi sanctuli in extremò
 judiciò ? Sic nimirum digitum ad hoc ge-
 nus hominum verè justèque intendit Ro-
 manæ parens eloquentiæ ubi dixit : *Sunt*
homines, quos infamia libidinisq; sua neque
pudeat, neque tædeat ! Utinam vel hanc
 solam detectionem meretricis Babylonicæ
 solidius considerãssent, & ex scriptis Theo-
 logorum, quos lucidissimos veritatis phos-
 phoros & falsitatis papisticæ antagonistas
 invictissimos per Dei gratiam hætenus na-
 ctæ fuerunt Ecclesiæ Evangelicæ, rectius
 statuenda statuisent apud animum vertigi-
 nosi & instabiles nonnulli Nigrini hõc no-
 strò seculò apostatæ, qui agnitã & in con-
 scientiã non semel approbatã, imò & ore
 tenus professã divinã veritate valere jussã, a

antichristianum papatum se proripuere,
 cum tamen laudatissimo exemplo Spartam
 divinitus nactam amplius ornare potuissent,
 prætermiſſis omninò & ad Gyaras relega-
 tis omnibus quisquiliis personalibus, quas
 ex Lutheri scriptis sterquilini instar tantâ
 industriâ jam pridem congeſſerunt Eceboli
 non attendentes, quòd vice unius aut alte-
 rius dieterii sinistra & malè sonantis, quod
 Lutherus homo in ipso papatu ad apicem
 impietatis deductò natus, educatus, infor-
 matus quomodocunque protulit, quod-
 que nemo, qui in verba Lutheri omnia non
 juravit, excusat aut defendit, aliquot my-
 riades longè absurdissimorum & spurcissi-
 morum pronuntiatorum ex dictâ taxâ pœ-
 nitentiariâ & aliâ insuper singulari taxâ ca-
 meræ papalis, ex conformitatibus Francisci
 Assisi, legendis sanctorum, vitis Pontifi-
 cum, bullis indulgentiariis, libris missati-
 cis, picturis & statuis antiquis, aliisque do-
 cumentis publicis & privatis facillimò ne-
 gotiò proferri possent, & in majorem al-
 titudinem similis camarinæ & fimetii puti-
 dissimi quàm ipsa turris babilonica coacer-
 vari, quicquid etiam versutiores Jesuitæ &
 simi-

similes obstetricantes plagiarii pro tegendâ,
 palliandâ, excusandâ veteri nuditate & ob-
 scœnitate nimium bestiali & immani apo-
 staticæ suæ Ecclesiæ Romanæ in contrarium
 simulent dissimulentque, ad decipiendum;
 incautos, & artis suæ veteratorix ignaros,
 quâ de realibi *σὺν Θεῷ* pluribus in subsidium
 veritatis & sinceriorum ejus amatorum erit
 differendum, quorum laudatissimi majores
 in Germania, Gallia, Anglia, Belgio, & ali-
 bi, etiam sanguine suô, uti Dn. D. Buehol-
 tzius rectè adducit, veritatem & jura supre-
 ma Evangelicarum Ecclesiarû vindicârunt,
 excusso singulari Dei gratia & providentia
 jugo Papæ Romani & suffraganeorum ejus
 Episcoporum, qui rursus & suis in præju-
 dicium supremi Magistratûs Evangelicî (Vi-
 de Bellarminum lib. 5. de Pontif. Romæ. cap.
 8.) non minùs quàm Romano-Catholici &
 partis utriusque Ecclesiarum gaudent sub-
 stitutis & maxima autoritate & rerum om-
 nium affluentia pollentibus atque perfru-
 entibus, ut proinde, dicente alicubi per jo-
 cum eruditissimo Chamiero, eò magis ne-
 cessum sit temperantiores esse Theologo-
 rum Evangelicorum computationes quàm
 papistarum jejunia!

§. 45.

§. 45. Hactenus de quæstionibus illis matrimonialibus. Sequitur, ut reliquas palmarias juri naturæ applicandas gratissima brevitate expediamus. Sit ergò

§. 46. Q. I. *an ipse Deus fecerit contra jus natura, creando Evam ex costâ tam perfecti corporis Adamici, & cum Adamo eam copulando?* Resp. Negatur, quia Deus hoc fecit liberrimè non tantùm ut creator, sed etiam ut Dominus, cui semel placuit hœ & non aliò modò propagare & multiplicare genus humanum, quod nonnulli illustrent per similitudinem desumptam à firmamento cœlesti, , cujus aliquam partem Deus à reliquò cœli corpore separaverit die creationis quartò, cu qua parte firmamenti formaverit & multiplicaverit luminaria cœlestia, cum tamen illa potuisset creare ex nihilò, aut ex aliâ materiâ præexistente. Subfuit etiam huic operi creationis divinæ sacratissimum & consolatione plenissimum mysterium de CHRISTO secundò illò Adamo spiritali & cœlesti nostrò parente sponsoque suavissimo; ex cujus in cruce obdormientis aperto latere sponsa ipsius spiritalis debuit interveniente operâ Spiritûs sancti

ti creari, & per fidem salvificam ei copulari, uti Patres & Theologi universaliter illud mysterium intelligunt.

§. 47. Q. II. *an circumcisio fuerit contra jus nature?* Resp. Negatur, quia & hanc Deus mandavit ut Creator & Dominus creaturae cum promissione largissimâ de multiplicatione speciali seminis Abrahamici & de obfignatione foederis gratiae in carne Abrahami & ejus posterorum, quod utrumque longè majus fuit beneficium, quàm ut praecisa aliqua particula corporis humani possit rationi scrupulum facere. Accedit insuper etiam mysterium de Christo ex semine Abrahami nascituro & circumciden- do pro remissione nostrorum peccatorum. Unde & Cant. 8. vers. 1. de illo dicit sponsa, *quod suxerit ut frater noster ubera matris spiritualis*, id est, Ecclesiae Israeliticae, quia & circumcisionem suscepit & agnum paschalem comedit, quod utrumque Sacramentum ubera matris illius repraesentavit. Addunt his patres & Theologi post typum spiritualis circumcisionis Sacramentum N. Testamenti Baptismum, ex Col. 2. quod Christus etiam in carae suscepit, & sic ubera ma-

ma-

matris nostræ spiritualis, id est, Ecclesia Christianæ quoque suxit in nostram sanctificationem, Matth. 3.

§. 48. Q. III. *an Deus contra jus natura præceperit Abrahamo occisionem filii innocentis?*
 Resp. Negatur, quia extraordinariò hoc Deus præcepit Abrahamo, & rectè ac piè fecit Abrahamus, cùm hoc voluntate sua ageret Hebr. II. v. 17. Peccatum hìc aberat, quia Deus, qui erat super legem, *Non occides*, ex plenitudine potestatis absque ulla repugnantia naturæ, bonitatis & potestatis suæ, creaturam in ordine ad se & universaliter nocentem ac naturâ mortis debitorem (Gen. 3, Rom. 5. & 6,) quamvis in ordine ad Abrahamum & in particulari innocentem subjecit potestati Abrahami, legemque illi tulit peculiarem, quæ erat quasi exceptio à lege communi, *Non occides innocentem*. Nulla ergò hìc fuit malitia moralis, quam Deus præceperit, quia nulla erat lex aut revelatio, quæ mandaret contrarium, aut prohiberet Abrahamum ab obedientiâ erga Deum. Credebat enim Abrahamus, Deum per Isaacum sive in vita servandum, sive ex mortuis suscitandum.

tan-

tandum (utrumque enim erat possibile
 immò si credidisset, & se & Isaacum à Deo
 posse justè occidi ob peccata & rursus po-
 tenter ex morte in vitam revocari, nihil fal-
 si aut injusti credidisset Rom. 4.) propaga-
 turum gentem magnam, & inde tandem o-
 riturum Messiam tam gratiosè promissum,
 cujus typus mysticus fuit Isaac Hebr. 11:

S. 49. Q. IV. *an Rebecca fecerit contra
 jus natura, cum alienis vestibus induit Jaco-
 bum, ut jus primogenitura & benedictionem
 paternam auferret Esavo?* Resp. Nega-
 tur, quia 1. ipse Esavus voluntariò renun-
 ciaverat juri primogenituræ. 2. erat impi-
 us & parentibus, maximè matri Rebeccæ in-
 obediens, Gen. 26. v. 35. cap. 27. vers. 46.
 Hebr. 12. v. 16. 17. 3. subfuit mysterium
 de rejectione posterorum Esavi, & typus
 ipsius prædestinationis divinæ, quæ pror-
 sus non dependet ab aliqua hominum præ-
 rogativa aut meritis propriis, sed à sola mi-
 sericordia Dei patris, & gratiosa ejus in
 Christo voluntate ac beneplacitò docente
 Apostolo Rom. 9. v. 11. 12. 4. necessitas
 major Rebeccam & Jacobum ab omni cri-
 mine mali & turpis doli absolvit, cum præ-

bè nòrint , non potuisse aliò modò pater-
nam benedictionem ab Isaaco obtineri aut
impetrari, nisi interveniente aliquà muta-
tione vestium & loquelæ, ut ita mentem pii
senis plus justo faventis Esavo aliorum fle-
terent, & seipfos cum familiã & posteris à
magnò periculò liberarent. Sic docet
commune decorum, ut quilibet vir hone-
stus non mutet gestûs instar alicujus morio-
nis aut insanientis defluente mucò è nari-
bus, & enatante salivã per os in barbã.
Hoc tamen in casu necessitatis sine ulla
turpitudine formaliter tali fecit David in
aulã Achis Regis Philistinorum. Est juris
naturæ, ut vir non induatur veste muliebri,
aut mulier veste virili, quod etiam lege
positivã prohibuit Deus, Deuteron. 22.
Hoc tamen honestè fieri potest, ubi patria li-
beranda aut innocentis vita tyrannidi sub-
trahenda, aut in nimio frigore caput vel
corpus obvelandum, aut in carcere, cùm
nihil aliud suppetit, innocenti captivo te-
gendum est. Potest etiam hoc modò uxor
maritum aut servus Dominam nocentem
ex carcere sine peccatò morali saltim gra-
viori & gravissimò liberare, nempe si sciat
capti-

captivo non inesse amplius animum nocen-
 di, aut ipsum delictum non esse istius qua-
 litatis, ut possit liberatori imputari absolu-
 tē & necessitate summā in damnum vitæ, fa-
 mæ corporis & facultatum. Sic laudatur à
 Socrate Histor. Eccles. lib. 3. cap. 25. Euse-
 bius Samosatenus, Episcopus orthodoxus,
 à Valente Imperatore Ariano in Thraciam
 relegatus, quòd assumpto militari habitu lon-
 gè aliter quàm nostri Jesuitæ & monachi so-
 lent in Angliâ, Belgio & alibi vagari sub habi-
 tu militari aut mercatorio, circuiverit Sy-
 riam; Phœniciam & Palæstinam, Ecclesias
 confirmans, & episcopos constituens. Lau-
 datur Theodora virgo & martyr ab Ambro-
 sio lib. 2. de virginibus, quod in lupanar jussu
 Diocletiani ducta Antiochiæ, cum milite
 Christiano permutaverit vestes, ut pudici-
 tiam servaret & evaderet, quâ re cognita &
 virgo & miles occisi sunt. Laudatur Hyp-
 sicratea Mithridatis Regis uxor, quod Per-
 sico virili habitu induta, tonsis capillis, vi-
 ctum à Pompejo maritum sper efferatas
 gentes fugientem, animo pariter & corpo-
 re infatigabili secuta fuerit teste Plutarcho
 in Mithridate. Laudatur & nostro tempo-

G

re

re uxor Hugonis Grotii, quæ simili ratione
maritum ex carcere aliquando liberavit.
Confer 1. Sam. 19. v. 12. 13. Sic & uxor Je-
roboami in morbo filii simulavit impudè
habitum, 1. Reg. 14. &c. An verò sine pec-
cato morali fieri potuerit, quod virgines
quædam assumptò virili habitu in cœnobial
virorum se conferre, & ad vitam inter mo-
nachos ita incognitò, forsan uti Thamar Ge-
nes. 38. commemorari voluerunt, quarum ex-
empla ex Volaterrano & Marulo quædam
attulit Zvvingerus Theatri vitæ volum. 2.
pag. 440. col. 2. viderint alii, qui ludis mi-
micis & vestibus histrionicis magis gaudent
quàm honestate Theologicâ, civili, & Chri-
stianos omnes potissimùm decente Evan-
gelicos.

§. 50. Q. V. *an homicidium Mosis fue-
rit turpe & nefarium?* Resp. Negatur, quia
1. à Spiritu S. laudatur Actor. 7. v. 25. 2. illa-
tum est inimico Dei Ægyptio, & nihil aliud
fuit quàm poena talionis, postquam Ægyp-
tii vi & dolo conati sunt Israelitas occidere
& funditùs extirpare. Sic enim vim vi re-
pellere cuilibet est licitum juxta illud: De
pessimò genere, ne catuli quidem relin-
quen-

quendi sunt. 3. armata manu potuit Ægyptius resistere, Mosis, & vitæ ejus pariter ut aliorum Israelitarum insidiari. Ergo Moses etiam potuit servatò moderamine inculpatae tutelæ justè inimicum occidere. 4. subfuit mysterium liberationis futuræ ex servitute Ægyptiacâ dicente S. Stephano protomartyre, Actor. 7. v. 25. Si dicas, cur tamen turpi fugâ sibi consuluit Moses? Respondeo, non est turpis fuga, cum apertos Ecclesiæ hostes & justitiæ etiam publicæ violatores, qualis tunc fuit Pharaon infanticida, fugiamus, sed hoc potiùs est prudentiæ piorum & divinæ providentiæ adscribendum. Contra autem turpis fuga est, cum quis ob antecedentem & subsequentem propriam malitiam fugit, ubi nulla adest persecutio Ecclesiæ aut justitiæ violatio, qualem fugam divina Nemesis plerumque sequitur aut morte subitanâ aut aliis poenis divinis pariter & humanis desertores, transfugas, & apostatas modis omnibus vel tandem revelans & justissimè notificans.

§. 51. Q. VI. *an idem statuendum sit de homicidio Levitarum Exod. 22. Pineba*

G 2

Psal,

Pfalm. 106. *Sammelis*, 1. Sam. 15. *Elia* 1. Reg. 18. 2. Reg. 1. *Elizai*, 2. Reg. 2. *Petri*, Actor. 3?
 Resp. Affirmatur, quia sic occisi omnes fuerunt inimici Dei morte digni, & qui, si diutiùs vixissent, eò magis fuissent Ecclesie veræ & sanctis Dei nocituri. unde ob hanc & aliàs rationes facta illa heroica in scriptura laudantur.

S. 52. Q VII. *an autoxepia Simsonis cum quâ occisio Philistinorum conjungebatur fuerit contra naturam turpis & abominanda?*
 Resp. Negatur, quia 1. laudatur à Spiritu S. Hebr. 11. v. 32. 2. facta est ut in bello, ubi Heros quicumque pius tenetur cum discrimine vitæ certare & pugnare contra hostes Dei & Ecclesie. 3. fuit typus mysterii de Christo in cruce morituro non coactè sed liberè, & Philistinos infernales occisuro. 4. adfuit absoluta necessitas, quia melius & honestius est cum hostium interitu Heroem fortiter mori, quàm in perpetuo carcere cum ignominia & quotidiano vitæ discrimine vivere. 5. Facta Heroica non faciunt regulam, neque sunt temerè & ordinariè imitanda. Idem sentiendum est de inobedientia Simsonis erga parentes, & de matrimonio.

monio cum muliere Philistinâ, quæ ab ipso Deo facta esse prædicantur.

§. 53. Q. VIII. *an lex de cherem sive de voto anathematis Levitici CAP. XXVII. v. 28. 29. præscripta, sit contra naturam, quâ mandat occisionem inimicorum Dei in bello captorum & ad verum Deum se non convertentium?*
Resp. Negatur, ob rationes Q. VI. jam adductas.

§. 54. Q. IX. *an eadem lege fuerit jurinatura adversum; si Israelita vel filios & filias, vel servos & ancillas indigenas; vel etiam gentiles in bello captos, sed ad verum Deum conversos, eodem votò anathematis morti vigore istius legis adjudicaverint?* Resp. Negatur & præsupponitur, quod non simpliciter & præcisè quocunque modo, sed propter antecedens aliquod enorme flagitium, per quod aut parentes, aut heros ad votum illud anathematis provocârunt & compellârunt, fuerint occidendi. Poterant enim aliàs quoque ordinariò filii immerigeri ob insidias vitæ parentum structas, vel ob alias causas fonticas à parentibus judicialiter accusari & à magistratu politico occidi, Deut. 21. v. 18. Quidni igitur ob easdem causas acceden-

dente in super votò anathematis potuissent
 justè occidi sic peccantis liberi aut servi?
 Hoc tamen discriminis videtur subfuisse,
 quod ordinariè accusati coram magistratu
 politicò, debuerint absolvi à pœnâ mortis,
 si parentes aut heri suâ intercessione absolu-
 tionem precariò præstatis præstandis vo-
 luerint impetrare; extraordinariè autem
 ob votum anathematis accusati nullò mo-
 dò potuerint absolvi, cum malitia illorum
 longè fuerit major & omninò incorrigibilis
 post factam denunciationem parentum
 aut herorum, quod voto illo constringere
 & plectere vel tandem velint fontes & ma-
 lignantes, nisi resipuerint. Putant non-
 nulli hanc pœnam tam ordinariam quàm
 extraordinariam eò magis necessariam fuis-
 se inter Israelitas, quia primogeniti filii fue-
 rint unà cum parentibus in authoritate le-
 gali conservandi contra odium, rixas & æ-
 mulationes liberorum reliquorum & iis ad-
 hærentium seditiosorum quoque servorum
 aut famularum, id quod ex connexionem
 hujus legis Deuteronomii cum lege proxi-
 mè antecedenti de filiò primogenitò uxoris
 à maritò odiò habitæ colligunt.

S. 55.

§. 55. Q. X. *an filii innoxii parentum, transgressorum, quales fuere multi primogeniti in Agypto, Exod. 12. multi & ex filiis & filiabus Core, Dathan & Abiram, Num. 16. filii Achan Jos. 7. aliqui justè potuerint occidi & ab ipso Deo & à magistratu politico?*
 Resp Affirmatur, quia 1. naturâ fuerunt debitores Dei & mortis rei tum ob peccatum originale, tum ob actuale, & quod quidam ex illis peccatis parentum communicarunt. 2. solus Deus prævidit & pervidit tam præsentem & præteritam quam futuram illorum malitiam, quam homines providere & pervidere in similibus casibus & exemplis non possunt, Psalm. 90. vers. 7. 8. 9.

§. 56. Q. XI. *an filia Jephthæ justè fuerit occisa ob votum parentis?* Resp: Difficilis est responsio ad hanc in primis questionem, & ut verum fatear, ego non possum assentiri illis Theologis, qui realem occisionem filia Jephthæ juxta legem ordinariam Levitici CAP. XXVII. v. 28. | 29. factam fuisse contendunt. Nam. 1. non fuit hoc votum anathematis per inobedientiam filia parenti extortum, sed votum liberum & ex heroicò spiritu ob incidentem.

G 3

lon-

longè aliam necessitatem fortuitam bellicam profectum, finique & eventui non tristi sed læto & prospero destinatum. 2. occisio & immolatio filia Jephthæ fuisset clarior typus mortis & immolationis ipsius Christi in cruce, quàm mors & immolatio Isaaci, quæ non realiter sed ἐν ὁμοιωσει tantùm facta est, Hebr. II. 3. ἀνθρώπου ἁγίου sanctissimus Deus ceu φιλόψυχος & φιλόανθρώπος omnibus temporibus averfatus est, & Cananæos propterea extirpavit, quòd liberos suos occiderint & sacrificarint Moloch Levit. XVIII. v. 21. Qui ergò potuit mandare vel approbare tantas abominationes gentium à Diabolo simiâ Dei ortas? 4. repugnat occisioni reali explicatio in textu clarissimè addita, *ἔσθ' ἢ οὐκ ἐπίγνωσεν τὸν θεόν;* quæ veritatis verba non nisi coactè & impertinenter in plusquamperfecto à nonnullis intelliguntur Jud. II. v. 39. De cæterò, quid pro & contra præstantissimi autores & de lege Levitici, quæ occisionem liberorum deposcit propter chorem, & de hoc exemplo filia Jephthæ, magnò ausu disputarint, videri potest Diatriba singularis de voto Jephthæ, quam appendicis loco subjunxit

Indo.

Ludovicus Capellus suo spicilegio ad myro-
 thecium Cameronis pag. 164. & seqq. ad
 quem scriptorem aliquoties provocat D.
 Christianus Kortholtzius Theologus Luthe-
 ranus in noviter erecta Academia Chiloni-
 ensi disput. Historico-Theologicâ cap. 1.
 §. 7. & 26. qui in utramque partem plurimos
 adduxit disputantes quidem, sed pro reali
 occisione virginis non tam firma argumen-
 ta proferentes, meo iudicio, quam pro de-
 stinatione ejus ad perpetuum coelibatum.
 Nec obstat, exceptio laudati Dnn. Capelli
 & Kortholtzii, quod in veteri Testamento
 nondum fuerint monasteria. Fuerunt e-
 nim aliæ habitationes sacræ virginum & vi-
 duarum ante ostium Tabernaculi & Tem-
 pli, Exod. 38. 1. Sam. 2. Luc. 2. collat. 2.
 Chron 22. v. 11. Reg. 22. v. 14. Potuit etiam
 magistratus politicus singularia loca desti-
 nare exemplô Davidis, 2. Sam. 20. vers. 3.
 Certè si realiter occisa est filia Jephthæ, non
 tantùm ob votum illud parentis publicè co-
 ram facie Jehovæ in Mizpâ factum, sed eti-
 am ob audacem suam temeritatem occisa
 fuit, quia seipsam objecit periculo, ex quo
 audierat ipsamet, parentem coram facie Je-
 ho-

hoyæ votum hoc facientem, uti non obscure ex Judic. II. v. II. 30. 34. colligitur, & possunt verba versiculi 30. *Et Jephtha voverat votum Domino*, ex collatione v. II. rectè & congruè ita verti: *Et Jephtha novit vel voverat votum Domino*, nempe in Mizpa, ubi habitabat, audientibus illud omnibus coram facie Iehoyæ, i. e. publicè & solenniter in præsentia totius populi, cui filia quoque interfuit, ex religiosâ fide & devotione, quæ huic Heroi tribuitur, Hebr. II. v. 31. Nihilominus tamen ei ex bellò revertenti ibidem in Mizpa ex domo ejus obviam venit hoc votum susque deque habens filia, quæ hòc pacto & Deo & parenti inobediens facta forsàn eã ob causam occisa est, quamvis hæc ipsa inobedientia aliò modò etiam potuerit & debuerit puniri per impositionem perpetui coelibatûs & parenti & tam nobili virgini, quæ erat unica filia, valdè acerbi & luctuosi, &c.

§. 57. Q. XII. *an justè cuilibet innocenti uxori Israelitica propinari potuerit aqua maledictionis pulverulenta?* Resp. Affirmatur, quia I. Deus vi omnipotentiaæ suæ potuit voluitque ab innocenti uxore avertere & nauseam, ne nocuerit valetudini, & male-

ledictionem ipsam, ne innocenti potuerit esse exitio. 2. aderat absoluta necessitas, quia Zelotypia flagrans maritus aliàs fuisset afflictor vel prorsus per repudium ejecturus innocentem. 3. voluit Deus hác lege, coercere uxores Israelitarum, ut sibi eò magis caverent ab adulteriò, cùm in ipso Dei iudicio, uti quidam putant, majus fuerit peccatum, si uxor Israelitæ circumcisi cum aliò habuisset rem, quàm eùm aliàs à non circumcisis adulteria committuntur.

§. 57. Q. XIII. *an fuerit turpe & contra jus nature, quod Ezechiel Deò mandante comedit stercus humanum?* Resp. Negatur, quia 1. Deus vi omnipotentiae suae potuit voluitque avertere nauseam & quicquid sensibus adversum est. 2. potuit voluitque propheta ostendere modum, qui non minus & nauseam physicam & turpitudine morali caruit, quam more consuetò fit hodie quoque in deglutitione pillularum, quibus & aliis amuletis non tantùm res foetidae, sed interdum etiam aliquid veneni admiscetur. Nec desunt exempla viventium adhuc hominum, qui sine nauseam & damnò valetudinis araneis vescuntur, ob innatum aliquem vitio-

viciosum & insolitum naturæ appetitum, quod sine miraculo quodam naturæ fieri utique non potest. Sic turpe aliàs est vesci carne humana aut viperina, sed tamen Medici haud rarò mumias (de quibus prolixè agit Athanasius Kircherus in oedipo ægyptiaco) & carnes viperinas in medicamentis præscribunt. 3. subfuit mysterium vel typus futuræ famis in obsidione urbis Hierosolymæ.

§. 58. Q. XIV. *an contra honestatem communem Deus jusserit Hoseam ducere mulierem fornicationum?* Resp. Negatur, quia 1. de impositione nominis saltim hoc intelligendum esse multi censent, cum aliàs fuerit honesta mulier. 2. plerique id non realiter, sed tantum in visione factum esse concludunt. Vide Biblia Batavica ad CAP. I. Hoseæ v. 1. §. 3. & ad CAP. III. v. 1. §. 1. unde & notanter dicitur: *Verbum Domini factum esse in Hosea*, nempe per visionem vel revelationem internam. 3. quamvis realiter factum esse dicatur, tamen Deus interveniente pœnitentiâ mulieris potuisset singulariter honestare illud conjugium, sicuti honestavit conjugium Davidis & Bathsebæ, vel etiam

etiam quorumcunque polygamorum. 4. extraordinaria facta prophetarum ex communi omnium Israelitarum sententia erant divina & omni veneratione digna habebantur ab omnibus; quomodo ergò & hoc factum regulariter potuerit esse turpe & contra communem honestatem? 5. subfuit mysterium vel typus scortationis populi Israelitici spiritualis, de quà propheta conieciari debuit publicè ex justâ visione, vel quam Deus per illud matrimonium prophetæ tanquam per signum externum & in oculos incurrens voluit Israelitis proponere in confusionem & ignominiam idololatrarum.

§. 59. Q. XV. *an Deus furtum præceperit Israelitis in mutuo accipiendis & non reddendis vasibus Ægyptiorum?* Resp. Negatur, quia 1. Deus hoc præcepit ut Dominus omnium absolutus, ob cuius voluntatem bona ablata desinebant esse Ægyptiorum, & incipiebant fieri Israelitarum, sicuti & postea totam terram promissam Cananæis justissimè abjudicavit & populo suo in possessionem liberrimè tradidit & appropriavit, Levit. 25. v. 23. Israelitæ igitur dum illa accipiebant; non res alienas, sed suas accipiebant. Sic

reg

respondet Guilielmus Amesius lib. 5. de conscientia cap. 1. §. 10. & prolixius D. Rivetus in commentar. ad Cap. XI. Exodi, v. 2. & ad cap. XII. v. 35. & in explicatione speciali Decalogi pag. 362. col. 1. 2. justas habebat rationes, cur id præciperet, quia Ægyptii erant in Deum ingrati, & in populum Dei iniqui, immò filios etiam Israelitarum per vim ablatos aquis submerserant, unde per poenam talionis non tantum bona sed etiam vita potuit justè à Deo inimicis tam iniquis eripi, quod postea factum est, cum primogenitos Ægyptiorum occidit Angelus, ipsumque Pharaonem cum exercitu in mari rubro suffocavit vindicta divina. Itaque omnia bona, quæ Israelitæ acceperunt, fuerunt merces operariæ servitutis suæ & laboris per 200. annos Ægyptiis præstiti, ut notat Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem. 3. adfuit summa necessitas, ne nudi & pauperes ex Ægypto per desertum proficiscerentur Israelitæ, in quò casu extremæ necessitatis Scholastici absolutè concedunt, posse aliquem bona aliena contrectare ut vitam suam vel proximi ab interitu liberet, cum talis homo non peccet ex proarsu sed coactè & præter voluntatem, uti do-

docet etiam Rivetus l. 2. 'pag. 363. col. 1. sed quoad hoc exemplum Israelitarum id non determinat. 4. subfuit mysterium de ædificando ex bonis illis Ægyptiorum Tabernaculo, sicuti hodie quoque ex spoliis Ægypti, i. e. ex bonis papatûs Ecclesiæ & Scholæ etsi admodum tenuiter, cessantibus aliis beneficiis, sustentantur multis in locis Evangelicis, postquam religio in papatu peperit quidem divitias, sed filia devoravit matrem. 5. justè Deos Cananæos, uti jam dictum, expulit propter peccata ex possessione universâ terræ Canaan; quidni igitur dolosis & tyrannicis Ægyptiis, qui multò magis peccârunt contra innocentiam populi Dei, minorem, longè pœnam dictare potuisset?

§. 60. Q. XVI. *an Eliseus justè in nomine Domini imprecatus fuerit pueris Bethelicis exitium?* Resp. Affirmatur, quia ex justò & heroicò Zelo propter maximam inobedientiam erga Deum & Prophetam, qui ibidem in Bethel ordinarius Doctor & Præceptor erat, hæc imprecatio in nomine Domini nō aliter facta est atq; aliàs licet præviâ causæ justitia in nomine Domini publicè &

& ordinariè in iudicio jurare. Sic ipse Christus maledixit civitatibus Galilææ Matth. 11. & alias quoque juratis hostibus & immorigeris Judæis imprecatus est Væ; Sic Petrus Ananiam & Sapphiram Peremit gladio Spiritus Actor. 5. Sic Paulus incestuosum Corinthium excommunicavit ordinariè ad mandatum Christi Matth. 16. & 18. Sic etiam omnibus infidelibus inimicis Christi denunciavit anathema maharam motha, 1. Cor. 16. Gal. 1. Sic Hymenæum, Philetum & Alexandrum fabrum tradidit Satanæ, ut desinerent blasphemari, 1. Tim. 1. 2. Tim. 4. Sic concilia œcumenica & verè catholica anathema denuntiârunt adversus Arianos, Nestorianos, Pelagianos, aliosque blasphemos hæreticos.

§. 61. Q. XVII. *An ipse Christus justè maledixerit fici creature irrationali?* Resp. Affirmatur, quia 1. propter peccata hominum omnes creature maledictioni & exitio obnoxie sunt, 2. Christus hoc justè facere potuit ut Dominus omnium creaturarum, cui Deus pater omnia etiam juxta humanam naturam subjecit. Psal. 8. Matth. 28. 1. Cor. 15. Heb. 2. (Noto hic obiter; differre

ferre in sacris nomina de ipsius præcipua, cum vel *Jehova, Dominus, vel Elohim, Deus*, appellatur. Prius nomen denotat absolutum Dei dominium, quod etiam sine & extra creaturas esse & exerceri potest, uti factum ante creationem mundi. Posterius indicat respectivum Dei dominium, quod in tempore coepit, cum vox *Eloach, Elehim*, descendat ab arabico *alaha*, quod significat *colere, religiosè adorare*. Nam ab æterno Deus non fuit adoratus, quia omnes tres personæ Divinitatis sunt in essentiâ unus ille *Jehova* & in gloria æquales, Deut. 6. Joh. 10. Joh. 5. In tempore verò *Jehova* ille factus est etiam *Eloach* vel *Elohim*, *Deus gloria vel glorificandus, adorabilis, adorandus*, Psalm. 29. v. 3. Act. 7. v. 2. 1. Cor. 2. v. 8. 1. Petr. 4. v. 14. quamprimùm creavit coelum & simul cum Coelo Angelos, qui in principio statim mundi Deum creatorem & patrem adoraverunt & glorificaverunt, Job. 38. v. 7. & hæc etiam potest esse causa, quod vox *Elohim, Deus*, in totò capite primo Genesios solummodo ponitur & apponitur omnibus Dei operibus spatii hexaemeri exantlatis omisso nomine *Jehova, Dominus*, quod post abso-

H

lu-

Tutum opus totius admirandæ creationis se-
 quitur Gen. 2. v. 4. ad indicandum, illum
 ipsum supremum & absolutissimum Domi-
 num, qui ab æterno sine omni cultu & ado-
 ratione creaturarum regnaverit, nunc eti-
 am velle Deum adorandum & glorifican-
 dum esse à suis creaturis in omnem æterni-
 tatem, Rom. 11. v. 36. cap. 9. v. 5. Apoc. 5. v.
 13. &c.) 3. subfuit mysterium de excisione
 & interitu populi Judaici per ficum illam à
 Christo maledictum repræsentati.

§. 62. Q. XVIII. *an repudium uxorum
 innocentium potuerit justè concedi à Deo?*
 Resp. Affirmatur, quia 1. ob *σκληροκαρδία*
 Judæorum hæc licentia facta est docente ip-
 sò Christo, Matth. 19. 2. Deus afflictas uxo-
 res hoc modo voluit eripere ex manu & vi
tyrannicâ vel mariti vel alterius superindu-
ctæ aut cohabitantis uxoris innocentē uxo-
rem affligentis 3. unde & singulari lege Deut.
 21. v. 15. 16. 17. afflictæ & repudiatæ uxori vo-
 luit providere, dum filio ejus primogenito
 adjudicavit jus primogenituræ, qui matrem
 non deseruit, sed ex bonis paternis eam su-
 stentavit, quâ lege fibula imposita fuit Ju-
 daeis, quò minùs repudiarent uxores & uxo-

ribus etiam, quò minus seipsas affligerent
 vel odiò prosequerentur; immò si dixeris:
 Judæos non potuisse ordinariè repudiare
 uxorem præter illam, cujus filius fuerit pri-
 mogenitus, aut quæ aliàs liberos & amicos
 habuerit, quorum ope maritus fuerit coa-
 ctus, ut media vivendi repudiatæ sufficeret,
 nihil falsi dixeris. 4. voluit insuper Deus ta-
 citè & per obliquum, uti quidam putant,
 concessione repudii Judæis exprobrare Po-
 lygamiam, quæ plerumque illos & malas
 rixosasque illorum uxores induxit ad *συληργ-
 καρδίαν* erga uxores innocentes, unde repu-
 dium ortum fuit. 5. Sicut concessione usu-
 tarum à gentilibus tantùm repetendarum,
 compescere voluit Deus *συληργκαρδίαν* erga
 fratres Israëlitas, & sic potentioribus, ditio-
 ribus, superioribus terminum & limites
 præfigere, ut alerent & foverent potiùs fra-
 tres & sorores pauperes, quàm ejicerent &
 propulsarent immisericordià & vehemen-
 tià suâ in exilium: ita & hæc lex de repudiò
 uxorum potius fuit ex parte Dei limitativa,
 determinativa, coercitiva, exceptiva,
 quàm absolutè positiva, approbativa,
 præceptiva. Vide Malach. 2. vers. 13.

14. 15. 16. Matth. 5. v. 31. cap. 19. v. 8. 6. sub-
fuit mysterium de repudio synagogæ Judai-
cæ ob causas justissimas à Deo marito & spon-
so vel tandem facto Esa. 50. v. 1. Hos. 2. v. 1. 4.
Addunt nonnulli & aliud mysterium de la-
psu primæ parentis Hevæ, quæ peccatum
introduxit in mundum, & repudio digna fu-
it; sed hoc longius petitum videtur.

§. 63. XIX. *an & quomodo Deus salvò ju-
re nature potuerit concedere usuras non ab Is-
raelitis quidem, sed à gentilibus repetendas?*
Resp. Vide quæ ad hanc quæstionem anno-
tavit Dn. BUGÆUS in melpomene suâ Chri-
stianâ sive dissertatione poëtica de distincti-
onibus juris divini & humani notis Philolo-
gico-Theologicis illustratâ sect. 2, part. 2.
ubi quid juxta præscriptum verbi Dei de ho-
diernis quoque usuris sentiendum sit, pluri-
bus declaratur. Coeterum de abusu multi-
plici usurarum inter Christianos & similibus
injustitiæ passim grassantis operibus non si-
ne causâ conquestus est egregius Theologus
& Poëta Dn. D. Andreas Henricus Bucholz
antea coadjutor nunc Superintendens Brun-
svicensis in libellò precationum, quem vo-
cat *meditationes domesticas* impressò Brun-
svici

svvige anno 1663. pag. 410. ubi sub 'in-
 scriptione 3. quæ incipit : **Sehnliche Klage/
 daß der Christliche Wandel schier zu
 Grunde gangen / und die Hofheit
 überhand genommen hat ;** apposuit
 cantilenam, notatu dignissimam & verbo-
 rum structurâ elegantissimam.

§. 64. Q. XX. *an & quomodo Deus ju-
 ste potuerit jubere, ut Simei malediceret Regi
 suo David ?* Resp. Vox jubendi, non causa-
 liter intelligenda est de infusione malitiæ,
 sed eventualiter de executione justitiæ divi-
 næ punitivæ vel vindicatricis. Sicut enim
 David peccatis suis blasphemare fecerat ho-
 stes Dei: ita nunc pœnam retributionis di-
 vinæ justissimam ultrò agnoscit, & ei se hu-
 millimè submittit, inque spem simul erigi-
 tur optimam, fore aliquando, ut in pristi-
 nos honores restitutus convitiatorem pos-
 set ulcisci, quod etiam factum est, & piis
 potest esse exemplo, ut interdum æquò ani-
 mò etiam ferant maledictiones, convitia &
 satyras pessimorum quorumcunque nebu-
 lonum Diabolicas, quos certum manet
 exitium, ut ad instar Simei ignominiosâ vel
 inopinatâ morte pereant, & postquam aliis

viris bonis maledicere nolentes volentes
 defierunt, ipsimet maledictam scurrilita-
 tis, arrogantiae & superbiae suae recordatio-
 nem apud omnem posteritatem relinquunt,
 cum iustissimo Deo ita faciente & dirigente
 stultitia illorum innotescat vel tandem om-
 nibus; contra autem bona piorum causa,
 quam Deus nunquam deseruit & deseruisse
 nescit, gloriosè triumphet, ut veritatis di-
 vine assertores palmam caelestis victoriae
 dextram tenentes voce altissima possint cum
 sancto Dei viro Iesaiam ex cap. 57. v. 4. convi-
 tiatoribus & hostibus suis ita exclamare:
*Super quò oblectati estis, contra quem nunc
 dilatabitis os, & linguam prolongabitis o filii
 praevaricationis, & semen falsitatis? Non
 defunt exempla etiam recentissima, quibus
 planissimè constat, quam iustus & admiran-
 dus sit Deus noster, modò sint, qui studio
 partium extra se abrepti apertis oculis non
 recusent videre, quae in exemplum ab ipso
 Deo, licet fremat orbis & orcus, proposita
 & toti Christiano orbi, ut sibi à Simonibus &
 falsis Simeis fratribus illis in posterum cave-
 at, & admonitionis causam in Solis mensam
 exposita sunt & commendata, rumpantur &
 illa Codro, &c.*

§. 65.

§. 65. Q. XXI. *an pugnet cum lege morali de non faciendis sculptilibus, quod ipse Deus jussit fabricari & erigi quasdam imagines & sculptilia in tabernaculo Mosaico & in templo Salomonis?* Resp. Negatur, quia 1. non ad cultum religiosum, sed tantum ad ornatum Deus id jussit vel concessit. 2. subfuit mysterium vel typus rerum spiritualium & coelestium, docente Apostolo, Hebr. 9. v. 4. 6. 8. Confer & Johan. 3. v. 14. Ezech. 1. v. 1. Apoc. 4. v. 7. 3. addunt nonnulli necessitatem singularem, quia Judæi fuerunt populus superstitiosus, qui in deserto presente ipsò Iehovâ portârunt per 40. annos imagines falsorum Deorum teste B. Stephanò Actor. 7. unde Deus quasdam sculptilia & simulacra in sanctuario voluit concedere excipienda à lege communi, sed tamen cum exclusione omnis religiosi cultus, ut eò minus ad gentium idola superstitiosum vulgus Judæorum se converteret, quomodò & repudia uxorum ob *σκληροκαρδία* illis concessit magis quàm aliis populis. Sic illi. *Si dicas;* imagines cherubinarum stetit super arcà foederis, ad quam Israelitæ omnes inter orandum convertere

debuerint faciem suam; quidni ergo & imagines illæ unâ simul potuerint & debuerint quodammodo religiosè adorari? *Respondeo*; neque arca foederis, neque imagines cherubinorum ab Israelitis adoratae fuerunt, sed solus filius Dei sedens super cherubinos, & gloriam suam ex illò loco manifestans. Unde & arca foederis unâ cum cherubinis semper fuit velo templi obtecta, ut præter vectes arcae ex sanctuario per velum prominentes nihil potuerit ab Israelitis orantibus conspici. Qui ergo rem ignotam & imagines nunquam visas religiosè adorassent Israelitæ, quos minimè latebat ornatûs tantum causâ omnes alias imagines in tabernaculo & templo fabricatas fuisse? Hoc æquè fuissent absurdum, ac si quis diceret, Romanos olim *Triumpha* canentes in laudem Triumphatoris sedentis super curru triumphali, non tantum laudasse Victorem, sed etiam currum & equos vectores, quibus Cherubini assimilantur, quia *Cherub* per metathesin literarum idem est quod *Rechub*, *currus*, in lingua Hebræâ, & Angeli sæpius in similitudine currûs & equorum apparuerunt, ut notat doctissimus interpres Ludo-

vicius de Dieu in annotat. ad cap. 3. Genes.
 Desinant ergo papistæ iconolatræ Evangelicis
 duplicitatem religiosæ adorationis in
 honorandis Angelis & sanctis demortuis, co-
 rumque statuis & imaginibus obtrudere.
 Desinant præter CHRISTUM unicum Me-
 diatorem atque Intercessorem infinitos ali-
 os Mediatore atque Intercessores, quorum
 plures chimerici sunt, & in rerum naturâ
 nunquam fuerunt, substituere; Legant po-
 tius, quid Angelus æternum Evangelium nunc
 proximè ante iudicium extremum annunti-
 ans dixit Apoc. 14. v. 6. 7. & resipiscant.

§. 66. Q. XXII. *an propheta Elisæus ad
 petitionem Naamanis Syri rectè responderit:
 Vade in pace?* Resp. Affirmatur, quia i.
 verba Naamanis petitoria ex sacrâ linguâ
 optimè possunt verti, 2. Reg. 5. v. 18. in præ-
 terito hoc modo: *Ignoscat Jehova seruo tuo
 in hac re, cum Dominus meus (Rex Syriæ) in-
 domum Rimmon introiit ad se incurvan-
 dum ibidem, & ille se inclinavit super manus
 meâ, & ego me incurvavi in domo Rimmon;
 cum (ita) me incurvavi in domo Rimmon;
 Jehova, queso, ignoscat seruo tuo in hac re!*
 Ad hæc verba, quibus Naaman non futuræ,
 sed

sed præteritæ idololatriæ condonationem à
 Deo, & absolutionem à servò Dei petiit, re-
 spondit propheta, & sine omni dispensatio-
 ne in ulteriorem templi idololatrici fre-
 quentationem justè omninò sic respondere
 potuit: *Vade in pace.* Confer similem
 responsionem 1. Sam. 1. v. 17. 2. etsi in fu-
 turo hæc verba Naamanis intelligantur, ad-
 eoque dispensatio quædam prophætæ in fre-
 quentationem templi idololatrici ulterio-
 rem concedenda sit, tamen exinde non se-
 quitur, dispensasse eum in ullam idolola-
 triæ aut hypocrisicos libertatem sive à *Να-
 φοειαν*. Nam. 1. non tantum pietas & reli-
 giosus pro solius veri Dei honore & cultu
 Zelus, sed maxima etiam authoritas politi-
 ca Naamanis, apud Regem Syriæ Elisæo op-
 timè fuit perspecta, quâ fretus protestatio-
 nem publicam contra omnem idololatriæ
 & hypocrisicos malam speciem ex parte il-
 lius magni virispe certâ præsumsit vir Dei,
 etiamsi vel maximè ex necessitate quâdam
 indeclinabili Naamani ampliùs fuerint mu-
 nia sua politica ad inserviendum externâ
 aliquâ corporis incurvatione non idoli;
 sed

sed Regis intuitu, obsequiosè præstanda
 & subeunda. Sic nostrò seculò captivus
 quidam concionator Evangelicus in Au-
 striâ inter duos Iesuitas constitutus, & vi-
 ab illis detractus unâ cum illis quidem,
 nolens volens præcidit in genua, sed Ma-
 riam adorare noluit & ita canere: *Oratio*
pro me; etsi non recusaverit ea, quæ in
 Litaniâ papisticâ orthodoxa sunt, unâ de-
 cantare. 1. abfuit scandalum idololatriæ
 & hypocriseos, quia in terrâ & urbe gen-
 tilismò sepultâ nemo fuit, qui exemplo
 Naamanis potuit offendi. 3. Illustre mi-
 raculum, quod in illo erat factum &
 conversionem illius effecerat ab omni su-
 spicione in frequentatione templi Rim-
 mon eò magis eum excepit, quod & re ipsa
 per Ecclesiam suam orthodoxam domi e-
 rectam testatus est exemplo Cornelii,
 Actor. 10. 4. defuit peculiaris revela-
 tio divina prohibens istam Elisæi dispen-
 sationem sive concessionem. Potuerunt
 enim sancti homines aliquando rati habere
~~aliquis corporis incurvatione non idoli,~~

&

& concedere, in aliis sanctis, quod tamen Deo non ita visum fuit, neque plenarie revelatum, cujus rei exemplum singulare vide 2. Sam. 7. v. 3. & 1. Sam. 16. v. 6. Et sic verbis istis: *Vade in pace*: Elifaeus etiam hoc saltem voluisset dicere: *Nibil certi mihi hac in parte revelavit Deus. Meum itaque est tibi tantum bene precari, sicuti tuum erit fugere idololatriam in posterum, pro virili, omnem, & caetera Deo mecum committere, qui amplius facienda vel amittenda mihi & tibi gratiose revelabit!* 5. addunt nonnulli, quod in ipsis patriarcharum familiis Deus toleraverit pios homines idololatriæ quodammodo ex ignorantia simplici deditos, quod ex Gen. 35. v. 2. colligunt, nec non ex Gen. 31. v. 19. collat. 1. Sam. 19. v. 13. quibus & aliis locis vox *Teraphim* notat Deastrum aegyptiacum, id est, imaginem instar hominis fabrefactam & fasciis involutam, quarum imaginum magna copia differentis magnitudinis ex lapide, metallo, ligno aut testa ex aegypto in alias regiones etiam europæas semper fuit deportata, & erant imagines illæ in Aegypto Dii tutelares locorum maximè publicorum; quædam

dam etiam erant portatiles de loco in locum
 migrantium ; quædam loco amuletorum,
 collo, cingulis, manibus portabant sub fi-
 gura vultûs foeminae vertice velati, aut alio
 modo. Hæc simulacra Hebræi à pretiosi-
 tate in plurali vocant Teraphim vel Sera-
 phim à Terapide vel Serapide Deo ægyptio-
 rum notissimo. Sic de voce illâ differit ad
 locum Gen. 31. v. 19. Athanasius Kirche-
 rus in Theatro hieroglyphico sive œdipo æ-
 gyptiaco Tom. 1. syntagm. 4. pag. 254. &
 Tom. 3. syntagm. 16. pag. 475. ubi tamen
 notandum, Teraphim vel Seraphim illos
 ægyptiacos longissimè distare à Seraphim,
 quos scriptura sic vocat Esa. 6. Hi enim
 fuerunt sancti Angelici DEUM laudantes;
 contra autem per ægyptiacas illas imagines
 locutum fuisse Diabolum & ex scripturâ
 constat & à doctis solidè demonstratur,
 ut falsum oporteat esse Jesuitam Christo-
 phorum à castro, qui in commentarij super
 12. Prophetas minores prolegomenis per
 Teraphim intellexit Angelos bonos loquen-
 tes per istas imagunculas, & consilia dan-
 tes hominibus in rebus dubiis, ut eò magis
 Lojolita statum inaret ἀγγιλολατρεία. Sed
 hanc

hanc ultimam rationem nolo ego comprobare aut ad exemplum Naamanis trahere, cum priores 4. rationes per se sufficient. Objiciat autem hic aliquis dicens; *ergone Christianis Evangelicis & hodie licet frequentare templa papistica, ad stare sacrificio missa, incurvare se coram imaginibus & reliquiis sanctorum saltem externis & πολιτικῶς, uti communionem sub unâ, orare & cantillare cum pontificis?* Ad hoc vel verbo respondeo: *Non licet.* Obstat enim 1. quod nulla Evangelicos nunc cogat necessitas, quæ Naamanem potuit impellere, sed præter conscientie libertatem, quæ per DEI gratiam gaudent, & papistis in incluta cum primis Germaniâ non sunt inferiores, ubique locorum etiam habent templa Evangelica, quæ sub tutela & protectione summorum principum Evangelicorum possunt frequentare & puriorem religionem publicè exercere. 2. Vocantur ideò præclaro nomine *Protestantes & Reformati*, quod non possint aut debeant contra exemplum laudatissimorum majorum, qui cum sanguinis etiam effusione libertatem religionis &

con-

onscientiarum, uti omnium maximè in
 Galliá, Angliò, Belgiò & alibi factum est, ac-
 quisiverunt, cum idolomaniâ papali ullate-
 nus communicare. 3. sacrificium missaticum
 seu cor & palladium Ecclesiæ Romanæ, est
 merum figmentum depravatæ rationis hu-
 manæ, quò juxta ordinem Melchisedeci, qui
 nunquam incruentum obtulit sacrificium,
 æternum sacerdotium sibi imaginantur pa-
 picolæ, & Christo in cœlis ad dextram pa-
 tris viventi ac regnanti, qui solò cruentò suo
 sacrificiò in arâ crucis semel peracto nos ex-
 piavit, quotidie novum aliquod *esse Sacra-
 mentale*, uti Bellarminus vocat, sub specie-
 bus transubstantiati panis tribuunt, cujus
 respectu in ibidem super terris infinitis locis
 sit religiosè adorandus, per templa & plate-
 as theatricè circumferendus, &c. cùm ta-
 men quotidie etiam possit & debeat in eò-
 dem sub *esse Sacramentali*, non repræsenta-
 tivè solum aut sub figurâ vel dramate passio-
 nis in cruce, quod Moralistæ volunt, sed con-
 tra potiùs verè, propriè & realiter à quo-
 vis sacrificulò sub speciebus panis jugula-
 ri, occidi & destrui pro vivis & mortuis
 per

per pronuntiationem quinque verborum
 consecratoriam, gesticulationes sacerdotis
 intentionales, & denique oralem mandu-
 cationem vel deglutitionem cyclopicam &
 capernaiticam cuius & homini & bestia
 appropriatam, unde & missas faciunt pro
 bestiis. Vide Bellarminum lib. 1. de missa
 cap. 27. pag. 219. ubi modo jam dicto
 sacrificium missaticum cum aliis Causato-
 ribus descripsit affirmando, non posse ve-
 rum & reale sacrificium, quamvis incruen-
 tum, dici missam, nisi juxta typum sacri-
 ficii cuiuslibet expiatorii sub lege Mosaica
 (en quomodo cadmæi fratres relictis incru-
 entis sacrificiis Melchisedeci & ipsius Chri-
 sti, quæ fingunt, ad sacrificia Mosaica ex-
 piatoria nunquam non cruenta ob causam
 desperatam necessum habeant confugere!)
 ipsum corpus Christi sacrificatum & occi-
 sum per oralem manducationem vel deglu-
 titionem *in esse suo Sacramentali* verè & rea-
 liter etiam destruat & consumatur, quan-
 doquidem eodem modo ultimus actus sa-
 crificandi & destruendi vel consumendi vi-
 timam occisam & sacrificatam in Veteri
 Testamento fuerit oralis manducatio in-
 sa.

sacrificiis consuetus. Sic ille. Quanta au-
 tem insania est, contra & præter scripturam
 ex'dictis Patrum malè intellectis & applica-
 tis finxisse olim & adhuc fingere furfurace-
 um aliquod idolum & Jovem Elicium in
 ignominiam sacrificii ipsius Christi cruenti
 unicè expiatorii? Quis non totò corde exe-
 cretur & damnet tantam abominationem
 desolationis, etiamsi vel ultra bis mille an-
 nos steterit in locò sacrò? Futurum enim
 illud esse sub antichristi regno ipse Christus
 & Apostoli prædixerunt clarissimè, quibus
 sub specie pietatis larvas & offucias suas,
 quod non minus ac olim in gentilismò, aut
 adhuc in Mahumedismò mirandum, tam-
 diu objecit spiritus tenebrarum fallacissi-
 mus juxtim & callidissimus! Quidni itaque
 rectè & laudabiliter fecerint summi & reli-
 giosissimi Principes Evangelici, qui hoc &
 superiore seculò noluerunt adstare sacrifi-
 cio missatico in maximis etiam solennitati-
 bus Imperii Romani, quos eò nomine non
 potuerunt non dignis laudibus extollere &
γυναικας christianæ posteritati commendare
 præstantissimi rerum memorabilium con-
 ditores in suis annualibus ut notum est. Si

I.

au.

autē ulterius instando quis dicat; cur ergo ipsi
 sime Lutherani in Augustana confessione se de-
 clarant, quod noluerint abrogare sed potius
 voluerint retinere missam? cur etiam docent
 & defendunt realem corporis Christi presen-
 tiam & oralem manducationem eius in, cum,
 sub pane, vel; uti in exemplō germanicō Au-
 gust. confess. artic. X. extat, sub specie panis?
 Cur retinent & defendunt habitum missati-
 cum, imagines & reliquias sanctorum in alta-
 ribus, nec non exorcismum, elevationem, &
 similes ceremonias olim notoriē papisticas &
 ceu proxima idolomania instrumenta usur-
 patas? annon hoc etiam est contra jus natu-
 rale divinum verbō DEI revelatum? Re-
 spondeo & hic breviter i. per missam non
 intelligunt sacrificium missaticum cum the-
 atricis & histrionicis suis pompis, sed tan-
 tum liturgiam Evangelicam, sive exter-
 nam administrationem cultūs divini publici,
 consistentem in recitatione perieoparum
 & precum Dominicalium sine ullo respectu
 ad sacrificium missæ & invocationem san-
 ctorum. Exolevit ergo vox missæ meritō
 jampridem apud populum quoque Luthe-
 ranum, cui prælegenda in Ecclesiis plurimis

re-

rectius præleguntur eandem ob causam,
 linguâ vernaculâ, quàm latinâ parùm aut
 nihil hoc modo proficuâ, competenti & de-
 corâ, imò in honorem sacrificiî missatici sub
 papatu introductâ, & pro invocatione Ma-
 riæ. Hinc latinè adhuc canitur in vespe-
 ris *Psalms 110*. Item *Magnificat*, & tempo-
 re passionis *Salve*, quod olim erat *Salve Re-*
gina &c. 2. quoad realem corporis Christi
 præsentiam & oralem manducationem au-
 dienda est porro Lutheranorum declaratio,
 & si quis Theologus aut Laicus Lutheranus
 dixerit, quod neminem dicturum puto: se
 ipsum corpus Christi in, cum, sub pane, vel
 sub specie panis realiter præsens ore corpo-
 ris æquè ut panem καὶ αὐτὸ, πρῶτως καὶ ἀμε-
 σως, id est: secundum idem, primò & im-
 mediatè accipere, dentibus terere vel ma-
 sticare & in ventrem deglutire: tunc uti-
 que affirmanda est quæstio, quicquid etiam
 nonnulli distinctiuncula inter ventrem &
 corpus ogganiant, cùm talis doctrina non
 possit non esse formaliter papistica, confir-
 mans tum transubstantiationem vel ad mi-
 nimum consubstantiationem, tum ipsum
 sacrificium missaticum, uti nemo sanæ

mentis Christianus *γνησίως* Evangelicus negabit. Si autem Theologus aut Laicus Lutheranus dixerit, quod omnes, & singulos prudentes dicturos credo: se ipsum corpus Christi in, cum, sub pane, vel; sub specie panis, id est: in, cum, sub acceptione & manducatione panis externâ & corporali, vel; mediante pane & interveniente verbo institutionis Christi ore corporis accipere & manducare saltim *κατ' ἄλλο, δευτέρως καὶ ἐμμέσως*, id est, secundum aliud, secundariò & mediatè, quò ita non sit cibus dentis & ventris, sed contra potiùs animæ & consequenter etiam corporis omnibus dignè accedentibus juxta illud: *Ventrem quod terimus; mentem quod credimus intrat*: veluti ipsemet Lutherus & post illum Brentius, Chemnitius, Hunnius, Forsterus, Gerhardus, Waltherus, cæterique primarii Theologi communem doctrinam & sententiam Lutheranorum hætenus declarârunt; tunc neganda est quæstio, & protestatio Lutheranorum contra doctrinam papisticam quoad articulum de cœnâ in foro conscientie cum exclusione erroris hæretici & exitialis à Reformatis est accipienda non.

mij.

minis, quàm vicissim à Lutheranis protestatio Reformatorum in eodem foro conscientiae cum exclusione etiam exitialis vel haeretici erroris est admittenda, si quis Theologus aut Laicus Reformatæ Religioni addictus dixerit, quod omnes procul dubio dicturi sunt: se propterea non posse subscribere doctrinæ & confessione Lutheranorum in articulo de cœnâ, quod realis præsentia & oralis manducatio corporis Christi in, cum, sub pane, vel sub specie panis, non quidem juxta dictamen rationis, quod utrinque sit excludendum, sed juxta ipsius Scripturæ analogiam & præscriptum, videatur adversari primariis fidei Christianæ dogmatibus de veritate humanæ naturæ Christi & de ascensione ejus in cœlos. Hæc ratione syrma illud quæstionum de S. Cœnâ inter Lutheranos & Reformatos controversarum citra ullam syncretisticam utriusque doctrinæ & religionis commixtionem præcidere voluit judiciosissimus Theologus Dn. D. Hülsemannus in Disputatione de dogmatibus fidei cognita ad salutem necessariis Thesi XVI. pag. 436. 437. 3. de ceremoniis adductis pluribus etiam esset dis-

Terendum, quorum summa hæc est: quod
 satis constat, illas plurimis in locis & Lu-
 theranæ & Reformatæ confessionis, excep-
 tâ fortassis Angliâ, ubi cumulus ceremo-
 niarum adhuc hodie etiam major est, tota-
 liter esse jampridem abrogatas, adeoque si-
 quis sciolus quarumcunque partium auda-
 cior pro necessitate aut sanctitate illarum
 hostiliter pugnet, & turbas etiam excitet,
 (Vide B. Lutheri verba de elevatione & simi-
 libus ceremoniis tom. 7. Jen. German. fol.
 441. fac. 2.) cum illo ego non facio, sed po-
 tius; et si non formaliter & intrinsecè post
 nunc abrogatum sacrificium missæ & reli-
 quas nenas doctrinæ papisticæ, sic defensas
 istas ceremonias dicam esse turpes & inde-
 coras; tamen materialiter & extrinsecè con-
 sideratæ non videntur omninò à quâdam
 morali indecentiâ absolvi posse, quæ non
 tam in verbi ministros, qui, etsi velint, ta-
 men non possunt neque debent ausu quo-
 dam privato & temerario illas abrogare,
 quàm in Ecclesiam, quæ, cum commodè &
 prudenter sine scandalo & offensione infir-
 morum illas possit abrogare aut in melius
 mutare, non tamen in istam abrogationem
 aut

aut meliorationem ex affectata aliqua ignorantia vult consentire, & fidelibus Ecclesiae ministris in DEI honorem & Ecclesiae emolumentum cooperari, quamvis tolerantia rerum abrogandarum sit admodum scandalosa, ex. gr. imago Dei patris tenens manu fulgura, quae vult vibrare in homines, nisi Maria eos tegat pallio, nec non reliquiae & ossa sanctorum chimæricorum cum imaginibus illorum in altaribus, elevatio, & ostensio Sacramenti, & alia id genus.

§. 67. Q. XXIII. *An ipse Christus fecerit contra legem patris coelestis anticipando in ultimo sui ministerii anno festum paschatos?*
 Resp. Negatur, quia 1. Dominus fuit non tantum Sabbathi Matth. 16. sed etiam paschatos. Sic Jesuitæ Maldonato candidè & nervosè respondet Casaubonus exercit. XVI. ad annal. Baron. 2. adfuit absoluta necessitas, siquidem juxta aeternum Dei patris consilium eâ ipsâ die & horâ, quâ à Judæis agnus paschalis erat maectandus & sacrificandus, nempe die parasceves, innocentissimus agnus Christus etiam maectari & sacrificari debuit super arâ crucis, qua hora mortis Christi & velum in templo scissum,

est, spectantibus illud miraculum sacerdotibus preparantibus sacrificia paschati Judaico destinata, teste Egesippo in Historia de ultimo excidio civitatis Hierusalem. Plura huc facientia explanabit Dn. BUGÆUS in libro de agapis sect. 2. ex Seldeno, Langio, Kirchero, Grotio, aliis.

§. 68. Q. XXIV. *an rectè Paulus voverit anathema fieri pro fratribus Judais?*
 Resp. Affirmatur, quia ex abundantia charitatis & sancto Zelo pro honore Dei illud votum Apostoli profectum est. Confer simile exemplum in Mose Exod. 32. v. 32.

§. 69. Q. XXV. *an pugnet cum justitiâ Dei, quod proprio Filio non pepercit, sed eum pro peccatis alienis tradidit in mortem crucis?*
 Resp. Negatur, quia Filius Dei in se quidem fuit justus & innocens: sed imputativè & tanquam sponsor noster, juxta scripturam potest dici reus, nocens, maledictus propter peccata, quæ in se susceperat. De altioribus mysteriis longè sacratissimis hic non disputabo.

§. 70. Q. XXVI. *an Deus nos homines per legem semel justè condemnatos, salvâ justitiâ suâ, per gratiam & meritum Christi à latâ*
sen-

sententiã condemnatoriã possit absolvere, quod
 secularis iudex sine detrimento justitiã & pro-
 prii honoris non potest aut debet facere? Resp.
 Affirmatur, quia à iudicio seculari ad iudici-
 um Dei non valet consequentia. Vide Rom.
 8. v. 3. 2. Cor. 5. &c.

§. 71. Q. XXVII. *an pugnet cum verbis
 Christi : Itē in mundum universum : quod
 Spiritus Sanctus interdum prohibuit Aposto-
 los, ne predicarent Evangelium certis populis,
 ad quos voluerunt proficisci? Resp. Negatur,
 quia 1. exceptio non tollit ipsam regulam.
 2. major fuit necessitas unius populi quàm
 alterius ; majori etiam profectu Apostoli
 potuerunt prædicare in diversis locis, quæ
 differentia soli Spiritui Sancto fuit cognita.
 3. virtus prædicationis non pendet ab ho-
 minum ministeriõ aut meritõ, sed à Dei vo-
 luntate & arbitrio. 4. ubi prohibiti à Spiri-
 tu S. non prædicarunt vice primã cum
 voluerunt, ibi prædicarunt vice secundã,
 cum debuerunt. Sic juxta ordinem à Deo
 constitutum primi erant ultimi &c. Spi-
 ritus Dei enim ubi & quando vult spirat
 Johan. 3.*

§. 72. Q. XXVIII. *an circumcisio etiam
 à Christianis quibusdam in Novò Testamento
 suscepta, unà cum nonnullis aliis ceremoniis
 Judaicis in Ecclesiam apostolicam translatis &
 ad tempus toleratis, quales fuerunt rasio vel
 prolongatio capillorum, jejuniorum & festo-
 rum observatio, vota, delectus ciborum, fre-
 quentatio templi Judaici, &c, fuerit contra
 jus nature divinum? Resp. Negatur, quia
 1. major adfuit necessitas, quæ ob Judæorum
 infirmitatem istam Apostolicæ Ecclesiæ
 ἰμείνειαν & οὐκ ἀνάβασιν postulabat. 2. ad
 tempus illa omnia erant observanda in Ec-
 clesiâ non plantatâ sed plantandâ. 3. Apo-
 stoli habuerunt Spiritum Christi, 1. Cor. 2.
 Ergò quod illi ad tempus fecerunt aut admi-
 serunt, non est temerè & perpetuò imitan-
 dum, sed ordinariæ & communi potius il-
 lorum doctrinæ est inhærendum. Si dicas,
 atqui papa Romanus dicit, se etiam ha-
 bere Spiritum Christi; cur itaque ejus tra-
 ditiones & sanctiones extraordinarias non
 sequimur? Respondeo: dicit quidem sed
 non probat; imò cum ad instantiam Regis
 Hispaniarum debuit definitè respondere de
 immaculatâ conceptione Beatæ Virginis,
 aper-*

apertè fassus est: Spiritum Sanctum sibi illud mysterium nondum satis ad ferendam sententiam publicam revelasse. Quid ergò posset in primariis fidei dogmatibus, quæ traditionibus aut tollit aut dubia reddit, si nihil valet ipsius tantoperè prædicata infalibilitas definitiva in istis minutiis? Non habet Spiritum Christi, qui non sequitur dogmata Apostolorum sed illis potius modis omnibus reclamatur & adversatur. Confer taxam pœnitentiariam sub rubricâ *de Ebraeis can. 1. & 2.* qui sic habent: *Ut Ebraei possint habere Synagogam in domo propriâ, taxatur Turon. 30. ducat. 7. carlin. 6. Pro licentiâ erigendi de novo publicam synagogam, taxa est turon. 60. ducat 15. annon hoc est Judaïsmum, circumcisionem, & maledictionem nominis Christi confirmare & venalem facere pro pecuniâ? Ita scilicet Diabolo accendit candelam, qui lucem Evangelii & ejus confessores sinceriores odit, persequitur, expellit & omninò tollit è medio, ne possint ampliùs lucere in tenebris papatus plus quàm Cimmeriis vel ægyptiacis! Prædixit hoc Dei Spiritus Apocal. XI. v. 6. ad quem locum Josephus Medus, Theologus*

gus

gus & Interpres Anglicanus accuratissimus
 in clave sua apocalyptica pag. 134. sic scri-
 bit: *Testes duo mortui sunt*, id est desie-
 runt esse vel vaticinari. *Mori* enim eâ no-
 tione dicitur, qui in quocunque statu con-
 stitutus sive politico sive Ecclesiastico, aut
 quovis alio, desinit esse quod fuit; unde &
 occidit, qui tali morte quemquam afficit.
 Siquidem in stylo sacro *Vivere* subinde est
 idem quod *Esse*, *Mori*, idem quod *non esse*.
 Quô sensu Satanae & peccato *mori* dicimur,
 cum eorum mancipia in posteram esse de-
 sinimus, & *Christo vivere*, cum ejus esse in-
 cipimus. Et omninò poscere videtur op-
 positionis ratio, ut ejusmodi futura sit
 post patratam cædem resurrectio testium ad
 vitam, talis foret & ipsa cædes, scilicet me-
 taphorica vel analogica, quia nulla resur-
 rectio propriè dicta futura est ante adven-
 tum Christi sub Tubâ septimâ. Testium i-
 gitur in bellô occubitûs, si ad ejusmodi in-
 telligendi normam exponamus, videbimus
 esse illorum ab officio & statione, quam in
 Ecclesiâ, vi prædicationis suæ reformatâ,
 aliquantisper consecuti sint, deturbatio &
 dejectio; sive ea cum morte corporali con-
 jun-

juncta fit, five secus : adeò ut vitam, qua
 lem tunc vixerant, propheticam deinceps
 non vivant, muniave ejus exercent am-
 plius. Quò simul necesse est futurum, ut
 columnis suis subductis, Bestiæque pseudo-
 prophetis in locum Prophetarum Christi
 postliminiò substitutis, tota Ecclesiæ Re-
 formatae politia, quàm latè hoc acciderit,
 in terram concidat. Quod citiusne an se-
 rius futurum sit, solus ille novit, in cujus
 manu sunt tempora & opportunitates. Ha-
 ctenus ille autor, cujus verba si ad loca plu-
 rima insigniora referas, in quibus clara lux
 Evangelii antea fulsit, nunc autem tenebræ
 superstitionum denuò prævaluerunt, vide-
 bis ea, quæ S. Johannes Theologus vaticina-
 tus est, magnam partem jam facta & adim-
 pleta esse.

§. 73. Q. XXIX. *an Christiani Corin-
 thiaci potuerint sine peccato templa frequen-
 tare idololatrica & vesci idolotbytis ?* Resp.
 Negatur. Vide I. Cor. capp. 8. 10. & 11. col-
 lat. Actor. 15. v. 1. & 20. Apoc. 2. v. 14. &
 senties à Phariseis, Nicolaitis, aliisque hæ-
 reticis Christianos ad id faciendum fuisse in-
 ductos. Epiphanius hæres, 18. comme-
 mo-

morat, inter illos sectarios Phariseos, de quibus Actor. 15. v. 1. etiam fuisse Judaizantem haesiarcham Cerinthum.

§. 74. Q. XXX. *an decretum Synodale Apostolorum de sanguine & suffocato sit perpetuum, & etiamnum obliget Christianos?*

Resp. Affirmatur, quia 1. non cessat hoc interdictum obligare, uti ratio hujus interdicti non cessat, quæ hæc est, ne per usum vel esum harum rerum quomodocunque offendantur infirmi. Quod si ergo & hodie dentur infirmi fratres, qui per usum harum rerum offendantur, dari autem tales infirmos inter ipsos Christianos Evangelicos, dubium nullum est, abstinendum utique tunc erit ab illis rebus vi hujus interdicti. Est enim interdictum Apostolicum ab ipso Spiritu Sancto profectum, *Ab. Actor. 15. v. 28. 2. abhorret ipsa natura à comestione sanguinis adhibiti vel mixti cum cibis aliquibus, ex. gr. cum infarciendis botulis plus ferè sanguinis quàm carnis aut alterius cibi admiscetur. 3. interdictum hoc est valdè antiquum, & statim post diluvium promulgatum Gen. 9. v. 4. Est etiam in eò fundatum, ut homines tantò magis ab-*

abhorrent ab effusione sanguinis huma-
 ni, unde & usus sanguinis nullibi magis in-
usu est, quàm apud barbaros Scythas, ad
 bella & homicidia maximè pronos. 4. san-
 guis bestiarum apud Judæos sacer erat, de-
 stinatus ad sacrificia, sanguinem nostræ
 reconciliationis repræsentantia, uti qui-
 dam colligunt ex Levit. 17. v. 11, & proinde
 usus sanguinis pariter & suffocati, quod ca-
 daveris loco à Judæis habebatur & adhuc
 habetur, in communi victu valdè erat abo-
 minabilis. Quod si verò propter necessi-
 tatem aliquam majorem vel absolutam in
 medicamentis aut aliàs, usus sanguinis aut
 suffocati, imò & cadaveris, quale sunt mu-
 miæ, sit adhibendus, & mediatè non cru-
 dè propinetur aut incrustetur, tunc licitè id
 fieri posse à nemine dubitatur. De cœterò
 autem abundet quisque suò sensu, &c.
 &c.

§. 75. Tantum quoque de hisce quæ-
 stionibus scripturariis ad jus naturæ divi-
 num spectantibus. Nunc porrò pro con-
 clusione hujus sectionis satis prolixæ adhuc
 unum requisitum ad doctrinam de jure
 naturæ communiter pertinens, addu-
 cam. §. 76.

§. 76. Potuisset enim (4) explicari & ostendi, quod jus natura, de quo haecenus actum, non sit idem cum jure naturali Jurisconsultorum. Quantumvis enim & hoc sit ortu verè divinum, & proinde omni veneratione dignum; unde Dn. BUGÆUS in laudem nobilissimæ Jurisprudentiæ & ejus columnarum honorificentissima quæque, non ut Poëtafter blandiens, sed ut divinæ veritatis præco & assertor ingenuus prolixè decantavit in sua melpomene Christiana part. 2. qu. 1. quæ ita incipit: *Præfens justitia columen, legumque sacerdos, &c.* tamen & hoc verum est, quod jus naturæ à Dd. Iureconsultis definitum, subjecto & objecto differat à jure naturali divino in scripturis revelato, quod utique non est symbioticum tantum, pertinens ad societatem humanam honestate civili conservandam in vitâ naturali & animali, atque adeò definiendam per jus hominis, qui ob divinum officium in sacris DEUS vel DII appellatur, in hominem; aut cujusvis hominis in rem quamcunque humanam, sed non nisi in ordine ad alium hominem & res humanas, aut hominij subjectas & competentes.

§. 77.

§. 77. His primariis & necessariis juris naturalis divini in scripturis traditi requisitis ita præsuppositis & utrinque admissis, non potest non his præcepta inter *Simplicium Verinum Theologum, & Justum Pacium Jctum* jam esse composita.

§. 78. Cùm enim quoad rem ipsam utrinque sit in confessò, non à priori, directè & ordinariò, sed tantùm ex post-factò & rarissimò exemplò posse dispensari ab hominibus in matrimonia legibus Levitici CAP. XVIII. & XX. interdicta, quæ dispensatio mihi quidem Theologicâ consideratione descripta nihil aliud esse videtur quàm admissio sive tolerantia quædam rei alicujus ad tranquillitatem publicam pertinentis, cujus semper inter Christianos etiam Evangelicos ratio maxima habenda est; quare ergò in verbis tam simus difficiles, ut vel hæreseos nos invicem postulemus ob legum divinarum interpretationem non omnimodè in singulis apicibus, punctis & accentibus concordantem? *Si dicas*, atqui Dn. Bugæus ipsemet in speculo propinq. conjug. ferè nihil aliud egit, quàm ut pugnârit pro apicibus, punctis, & accentibus; *Respondeo*:

K

no-

noveris tu, aliud esse fidum se præstare inter-
pretem sacrarum literarum; & rursus quo-
que aliud esse controversias, quæ pro &
contra ex sacris literis agitantur, decidere,
Quoad prius; firmiter statuit Dn. BUGÆUS,
non posse ullum hominem à priori, directè
& ordinariò dispensare in matrimonia legi-
bus illis Levitici exsertè prohibita, unde &
cas leges vocavit generales & perpetuas ex
hypothesi voluntatis & decreti divini, uti
nemo conscientiosus Theologus aut JCtus
Evangelicus negare poterit. Posterioris
verò respectu quod suum erat, in peculiari
hoc etiam tractatu, pro virili, egit & præsti-
tit Simplicius Verinus, cui eò nomine non
succensebit Dn. D. Bucholtzius, cujus *ἀνε-*
***βειαν* non videntur esse affecti, qui contra-**
ditionis studiò trahuntur potiùs, quàm ut
solida responsio ad ejus argumenta unquam
ab illis speranda sit, nisi alià veritatis vià cum
Simpliciò Verinò velint incedere, & jus na-
turæ divinum eòdem modò definire. *Si in-*
***βες; ἀνύγως* tamen non rarò loqui Dn. Bu-**
choltzium ex. gr. cum dicit: *polygamiam*
sub lege veteri non magis fuisse peccatum,
quàm nunc est dormire, edere, bibere; item
cūm

cùm sic occlamat Dn. Havemannò: *Apoge*
cum lege tuâ Mosaicâ! annon hoc est anti-
 nomis, Judæis, Jesuitis premere pollicem
 & bonam tradere causam Evangelicorum?
Respondeo: non de temeriâ polygamiâ eum
 loqui planum est ex ejus verbis supra addu-
 ctis, ubi dicit: *Jacobum & Davidem non mi-*
nùs conscientiam habuisse ac Havemannum;
adeoque à polygamiâ voluisse non minùs etiam
abstinere, si modò tantùm cognitionis de sextò
preceptò habuissent. Per legem quoque
 Mosaicam, quàm rejicit, legem tantùm fo-
 reasem Judæorum intelligit, cujus forma &
 obligatio ad Christianos omninò non spe-
 ctat ampliùs. Longè aliter verò nunc pro-
 cul dubiò suam declarabit sententiam, si in-
 terrogetur, an leges matrimoniales in Le-
 vitico non possint dici generales & perpe-
 tuæ illò modò, prout à Simplicio Verino
 hætenus sunt propositæ & declaratæ? Si hoc
 negaverit vir amplissimus, cum eò non fa-
 ciet Simplicius Verinus, sed potiùs cum
 Dn. BUGÆO, qui ex aliis potiùs necessitati-
 bus, quàm ex legibus his divinis in Levitico
 præscriptis de dispensabilitate in matrimo-
 nia prohibita, hoc nostrò tempore judican-
 dum

dum esse statuit, præsertim si ex post-factò
 judicandum sit, & non de contrahendis ;
 sed de jam contractis inter illustrissimas per-
 sonas matrimoniis judicium publicum fieri
 debeat, cùm aliàs notum sit vel ex solò De-
 dekennò, dispensasse integras Academias
 Evangelicas, & inter eas etiam Wittebergen-
 sem in gradibus longè propinquioribus
 quàm sunt illi, de quibus tantà animorum
 collisione inter D. Bucholtzium & ejus an-
 tagonistas disceptatum est, aut adhuc dis-
 ceptatur. Quod superest, aquilæ non cap-
 tant muscas, & potest ulterius per me & si-
 ne me esse unusquisque optimus verborum
 suorum Interpres, &c.

SECTIO III.

De probatione novitatum.

§. I.

NON patrocinari interpretationem Dn.
 BUGÆI, quam ille applicavit legi di-
 vinæ Levit. XVIII. v. 18. præscriptæ, ullis no-
 vitatibus prodigiosis aut noxiis, etsi prop-
 ter additam determinationem specialem,
 fortassis nova ab aliquò dicatur aut dici pos-
 sit, extra dubium est.

§. 2. Affirmanti verò contrarium, ad
 se-

sequentes syllogismos erit candidè, & uti par est, respondendum.

I.

Quaecunq; interpretatio consona est tùm sacra scriptura, tùm maximè parti & Theologorum & Jurisconsultorum Evangelicorum, illa non est prodigosè nova, singularistica, contradictoria.

Sed interpretatio DN. BUGÆI, quàm ille in speculò propinq. conjug. questione ultimâ Theologicâ applicavit legi divinae Levit. XVIII. v. 18. prescripta, est consona tùm sacra scriptura, &c. Ergò.

§. 3. Minor probatur, quia duobus modis aliquid dicitur consonum tùm sacrae scripturae, tùm Doctoribus Evangelicis, nempe: *vel ad literam, vel ad sensum.*

§. 4. *Ad literam consonantiam suae interpretationis per totum speculum propinquitatis conjugalis probavit Dn. BUGÆUS, qui usque adeò noluit ullius prodigosae aut temerariae & noxiae novitatis studiosus esse vel audire, ut potiùs per omnes modos interpretationum probare voluerit antiquam & communio^{rem} Dd. Evangelicorum sententiam, qui statuunt, hâc ipsâ lege Dei*

την λέξιν acceptá simpliciter & præcisè omne
matrimonium cum sorore uxoris & viven-
tis & defunctæ esse à Deo prohibitum, ita
 ut à priori, directè & ordinariò contra il-
 lam non valeat humana dispensatio.

§. 5. *Ad sensum* quoque nulla est disso-
 nantia, quia determinatio illa specialis, quam
 legi huic conciliat Dn. BUGÆUS nō tollit aut
 excludit eam simpliciter & absolute utroque
 iam dicto respectu ex censu legum genera-
 lium & perpetuarum eadem CAP. Levitici
 extantium, sed potius legem hanc tantum
 declarat in casu speciali, qui vigore legis
 transitorie Deut. XXV. præceptæ non rarò
 accidebat. Hoc non obstante, clarè &
 perspicuè docet statuitque Dn. BUGÆUS,
 quòd lex de non ducendâ fratriâ v. 16. ab
 hac lege v. 18. quoad sensum, valorem, &
 obligationem nihil omninò differat, cum
 de paribus idem non possit non esse semper
 & ubique iudicium. Quæ ergò hic novitas
 quæ dissonantia est? annon Dd. Iurecon-
 sulti agnoscunt aliquas leges in Oceano ju-
 ris & foro humano, quæ quidem generali-
 ter sonant, sed tamen propter certas neces-
 sitates ad Titulos legum specialiorum quo-
 cunq; modo referendæ sunt? II.

Quâ interpretatione solidè refutatur antilogia, quam Doctores Pontificii legibus divinis in Levitico & Deuteronomio tribuunt, illa interpretatio non est prodigiosè nova, aut mala, sed potius bona & orthodoxa.

Sed interpretatione DN. BUGÆI solidè refutatur antilogia, &c. Ergò.

§. 6. Respondet amplissimus vir Dn. D. Bucholtzius, non opus esse novâ istâ interpretatione Dn. BUGÆI, cum & alia ratione facilè conciliari possint istæ leges, si dicamus legem Deuteronomi intelligendam solummodo esse de casu non existentis prolis. Sed regerit Simplicius Verinus, quòd exceptio ista non videatur tollere imputationem antilogiæ in animis Doctorum Pontificiorum, contra quos tamen veritas & integritas S. Scripturæ modis omnibus est asserenda & propugnanda. Visum est huc transcribere verba Dn. D. Quistorpii Theologi Senioris Rostochiensis ex annotationibus ejus biblicis in Matth. XIV. pag. 45. col. 1. quæ sic habent: Dubium hic aliquod restat Historicum, de quò vehementer increpat Iosephum Baronius in Annalibus. & post

cum Bulengerus. Quod Evangelistæ scri-
 bunt, Herodiadem prius fuisse nuptam Phi-
 lippo. At Iosephus cuidam Herodi, Hero-
 dis Magni filio à Mariamne Simonis Ponti-
 ficiis filiâ. Respondeo, utrumque rectè
 & verè. Trigama fuit hæc mulier. Ait
 Iosephus. Herodi ex Mariamne nato Hero-
 diadem nupsisse; illi filiam Salomen pe-
 perisse. At non negat eandem Philippo
 nupsisse; nisi hoc sit negare, profiteri illam
 prius Herodi uni, post Herodi alteri eloca-
 tam (Vide Iosephum Antiquit. 18. cap. 7.)
 quod autem taceretur non negatur. Memi-
 nit autem Herodis prioris, quoniam illi
 primùm nupserat, & ex illò solò suscepere
 prolem. Meminit Herodis secundi, qui
 ipsi tertium maritus fuerat, quia ad illum
 transierat, non meminit Philippi, quòd
 nullà susceptâ prole ἀπαις obierat. Hæc
 ille, ex cuius verbis nunc erasendat Dn. Bu-
 GÆus, quod ex Grotio & aliis viris do-
 ctissimis adduxit in speculò propinq. con-
 jug. pag. 16, Herodiadem peperisse filiam
 Salomen Philippo. Hoc autem ex Gro-
 tiò notatu dignum, verba illa Διαστῶσα ζῶν-
 τῶν apud Iosephum indicare, Philippum
 non

non diu supervixisse isti devortio, quod Herodias fecerat, & proinde S. Iohannem Baptistam increpasse Herodem tertium Herodiadis maritum eo nomine, quod post mortem Philippi fratris, quamvis ille *ἀπαις* decesserit ipsius uxorem in matrimonio nihilominus habuerit & retinuerit. Confer ipsum Dn. D. Bucholtzium in appendice vindiciarum Havemannano oppositarum pag. 235. §. 9. ubi concedit, modo aliquo à Dn. BUGÆO indicato legem Deuteronomii de fratriâ illiberi ducendâ, ut (NB) antinomia evitetur, per legem Levitic. C. XVIII. v. 18. limitari. Nec caret momentis, quòd Theologi & interpretes Batavici, nec non Heidelbergenses & alii supra citati in bibliis Leidensibus & Francosfurtensibus legem Deuteronomii de ducendâ fratriâ illiberi, per legem Levitici cap. XVIII. v. 18. aliò in super modo strictiori limitârunt, nempe: non ducendam fuisse fratriam illiberam eam tantummodò ob causam, quod fuerit illiberis, sed etiam sub spe & conditione prolis. Unde nemo fratrum superstitem aut proximè agnatorum eam potuerit dicere, nisi fuerit *ἀγαμ* aut viduus etiam *ἀπαις* ad evitan-

tandam sapientissimo Dei consilio polyga-
 miam & discordiam duarum aut plurium
 mulierum in eodem matrimonio cum u-
 nico marito viventium. Hæc illi. Dic so-
 des, quid distet ista interpretatio nova, si
 nova dicenda sit, ab interpretatione Dn. BU-
 GÆI? Adde & hoc, quod si fratria sic ducta
 à fratre aliquo superstite coelibe, aut proxi-
 mē agnato viduo mansit sterilis; vel si prole
 semel atque iterum ex illā frater aut viduus
 agnatus suscepit casu aliquo inopinato aut
 physico aut morali inhabilem ad legiti-
 mē excitandum priori marito defuncto
 clarum nomen in Israele; quid tunc erat
 faciendum? annon exclusis fratribus &
 proximis agnatis ad familias agnatorum,
 longius à gradibus in Levitico prohibitis di-
 stantium matrimonium istud cum fratriā
 fuit propter communem etiam honestatem
 remittendum? Certē tūc Zeruja ipsius Da-
 vidis soror, tūc aliæ illustres foeminae mihi
 videntur in sacris literis foeminea nomina
 imposuisse suis filiis ob casum istum specia-
 lem Deuteronomii, si videlicet sterite nactæ
 fuerint conjugium cum prioris mariti fratre
 aut agnatō proximō, quō conjugio præviō
 potuerint etiam extra cognationem & fa-
 mi-

mi-

miliam vel tandem, si voluerint, (quo jure quâve injuriâ!) nubere viris aliis cujusque nationis aut conditionis, uti fecit communiter contra legem Dei positivam Abigail altera germana Davidis quoque soror 2. Sam. 17. v. 25, neque sine causâ ipse David appellatur septimus filius Isai, 2. Cron. 2. v. 15. cum tamen 1. Sam. 6. v. 10. II. & cap. 17. v. 12. non septem, sed octo filii Isai expressè numerentur. Si autem tu & hic dicas, ipsum Christum non improbasse exemplum septem fratrum, qui, testibus Pharisæis, fratrem omnes successivè duxerunt; Respondeo: etsi non improbavit exsertè; tamen neque laudavit & approbavit. Improbabit autem & damnabit aliquando multa, quæ hic ex multâ commiseratione permisit tolerando, & non statim in judicio divino sub rigerosâ examinationis aut animadversionis singularis punitivæ vel vindicatricis justitiæ incudem voluit revocare pro ratione officii, cujus respectu à patre cœlesti in terras erat ablegatus non ut judex, sed ut Servator generis humani. Vide Luc. 12. v. 14. Joh. 3. v. 16. 17. cap. 8. v. 10. II. &c.

III.

*Qua interpretatio non tantùm conformis est
sen-*

sententia plurimorum tùm Theologorum,
tùm ꝑctorum Evangelicorum quoad legem
Levitici disceptatam; sed etiam admittit ob
alias necessitates in sensu planò & ortho-
doxò interpretationem ipsius B. Lutheri,
Brentii, & cæterorum paucioris numeri
tùm Theologorum, tùm ꝑctorum Evange-
licorum citra imputationem hæreseos aut per-
niciosa & temeraria alicujus novitatis; illa
interpretatio est bona, orthodoxa, & nulli
novitati mala obnoxia.

Sed interpretatio DN. BUGÆI quoad
legem Levitici disceptatam talis est. Ergò.

§. 7. Denique *κτὶ τὸ βίβλον* & sic argu-
mentor: IV.

Qua interpretatio legis Levitici CAP. XVIII.
V. 19. non malè reduci potest ad antiquam
Pontificum Romanorum prohibitionem de
non contrahendis nuptiis vetitis ad quar-
tum usq; gradum; illa est nova, singularis,
& maximè parti tùm Theologorum, tùm
ꝑctorum Evangelicorum contraria adeoq;
minùs quàm DN. BUGÆI interpretatio eli-
genda. Sed interpretatio ipsius B. Lutheri,
Brentii, & aliorum Dd. Evangelicorum
quoad legem illam Levitici est talis, que jux-
ta

is sententiam viri amplissimi in append.
vindic. Havemann. pag. 229. §. 2. non male
reduci potest &c. Ergo.

§. 8. Si conclusio videatur absurda &
disona; quâ igitur ratione absurda & disso-
na interpretatio ejusdem legis divinæ Dn.
BUGÆO potest tribui, qui ubique analogi-
am & generalem sensum legum divinarum
servavit citra commixtionem cū aliis neces-
sitatibus humanis præter & extra illas leges
tūm olim tūm hodie quidquam causantibus
aut inferentibus contra jus naturæ divinum
in Scripturâ divinâ revelatum, sed tamen
certis modis & respectibus ab omni dispen-
satione humanâ non prorsus alienum, uti
hactenus ostensum & explicatum est.

§. 9. Ad ultimum posset insuper hic ad-
di una atque altera sectio *de rationibus pro-
bandi novitatem* Dn. Superintendenti Ge-
nerali Palæo-Marchico imputatam, & *de ra-
tionibus probandi contrariis*; Sed cum ille,
si opus fuerit, peculiari librò ea, quæ hic de-
sunt, bonò cum DEO luci veritatis amplius
expositurus sit, nolo illum antevertere, præ-
sertim; cū opera Typographi jam festinet
ad nundinas Lipsienses, & superiorum cen-
sura adhuc sit impetranda.

§. 10.

§. 10. Interea benè in Christo valeat amplissimus Dn. Justus Pacius Ictus, & Simplicio Verino Theologo impensius faveat, quem vicissim habebit ad præces & quæcunque officiosæ humanitatis atque Christianitatis studia nunquam non sibi quàm obstinatissimè paratum. Dabantur Stendaliæ, in vetustissimâ illâ veteris Marchiæ Electoralis Brandenburgicæ metropoli, Annò reparatæ Salutis M. DC. LXIX. in ipsâ vigiliâ Nativitatis CHRISTI gloriosissimæ, quam unâ cum instanti festo sanctissimò & in sequenti etiam novo anno salutiferam, felicem, faustamque nobis esse velit & jubeat ipse Filius Dei unigenitus, qui est unicus & meritissimus ille generis humani Redemptor & Servator, cui unâ cum misericordissimo patre coelesti, & Spiritu Sancto vivificatore sit laus honor & gloria per omnia secula seculorum!

Epist. S. Judd. Thadd. v. 25.

Μόνῳ σοφῷ Θεῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξα καὶ μεγαλοσύνη, κράτος καὶ ἐξουσία, καὶ νῦν καὶ εἰς πάντας αἰῶνας. ἀμήν

Viro

*Versio Belgica, qua & fert
Palao-Marchica est:*

Den alleen wysen Gode / onsen Saalighmaker / yn Heerlygheide ende Maajestait / Kracht ende Macht / beyden / ende in alle Eeuwighede.

Amen.

SYMBOLUM DN. BUGÆI

EX

II. Reg. XX. v. 19.

Sit PAX & VERITAS in diebus nostris!

FINIS.



ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 7. lin. 10. dele vocem *uti*, pag. 14. lin.
 14. pro *sine*, lege *sine*. pag. 19. lin. 19. lege *pro-*
lixè. p. 21. lin. 13. pro *sinterefin*, lege *syntere-*
fin. p. 23. l. 2. post verba, *erga Deum*; inseratur
 hæc omissa: *unde & hoc præceptum magis con-*
tra jus naturale sit quàm illud, quod tamen est
falsum, cum hoc ad Tabulam secundam; illud
verò de obedientiâ erga Deum; p. 32. l. 21. le-
 ge *imbutos*, p. 35. l. 18. lege *agapis*. pag. 36. lin.
 antepenult. pro *quòd*, lege, *quod*. p. 42. lin.
 1. lege, *positivas*. p. 51. l. 12. lege, *conjungendo*.
 p. 62. l. 2. Inseratur *in itiner*. p. 69. l. 10. lege
gynæceum. pag. eadem, lin. ult. pro *sensum*, le-
 ge *sinum*. p. 73. l. 7. lege: *hec habet verba*: pag.
 77. l. 8. lege *expositiones* p. 81. l. 5. lege *dubi-*
um. p. 88. l. 16. pro *eu*, lege *ex*. p. 98. lin. 2. lege
peccantes p. 105. l. 10. pro *justâ*, lege *istâ*. p. 108.
 l. 5. lege *peremit*. p. 109. l. 1. pro *de*, lege *Dei*. p.
 ead. l. 14. lege *1. Job. 5.* p. 110. l. 11. lege *male-*
dictam. p. 124. l. 21. lege *esse*. p. 129. l. 8. lege.
confessionis.

